HORSTIUS

DE VITE VINIFERA

1587

I,

G. D. 27

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HORST, J.

65467/A

OPVSCVLVM

DE VITE VINIFERA EIVSQVE PARTIBVS:

In quo tùm VINORVM tùm ACETI tum etiam paſſularum differentia, vſus, ſubſtantia, complexio, vires, & medicamenta complura eaq; optima quàm breuiſsimè traduntur:

CONSCRIPTVM

A

IACOBO HORSTIO Artium & medicinæ Doctore Illuſtriſsimorum Ducum Brunſuicenſium & Luneburgenſium Medico & Profeſſore medicinæ IN IVLIA Academia Helmſtadiana.

HELMSTADII

Excudebat Iacobus Lucius

M. D. LXXXVII.

LONDON · MEDICAL SOCIETY OF

GENEROSIS ET NOBILISSIMIS DOMINIS, DOMINIS SLADISLAO POPELIO BARONI DE LOCOVITZ, ſacræ Cæſ. Mai. conſiliario & præſidi cameræ Regni Boëmiæ &c. & MICHAELI SPANOVSKIO DE LYSSAV IN PATZOVIO ſacræ quoq; Cæſ. Mai. Conſiliario & Notario ſupremo Regni Boëmiæ, Dominis ſuis ſubmiſsè colendis. S.

Generoſi et Nobiliſsimi Domini, Mœcenates colendi. Quemadmodum ſanitatem tùm demum cùm amiſſa fuerit, rectiùs intelligimus, magisq́; multis cum gemitibus deſideramus: ita medicinam conſeruatricem et reſtauratricem eius plerięq; ſani adſpernantur. Sed tamen verum eſt, quod ſacra docent: Sapiens eam non contemnet. Fieri enim non poteſt, quin ſapientiſsimus quisq;, vel ſanus inter innumera alia negocia

*bona cùm alia, tùm verò maximè cor-
poris, nimirùm, integritatem actionum
omnium, ſpiritus alacres ad obeunda
munera, corpus agile cum mēte alacri,
& ſibi ſemper ſimili aliquando ſecum
recolat, & cauſam eorum tùm imme-
diatam, ſcilicet DEVM: tùm etiam
mediatam ſcilicet medicinam, gratus
iucunda recordatione celebret. Quare
cùm amœniſsimum Boëmiæ Regnum
vos ambo, illuſtres domini, ſapientia
conſpicuos multis iam annis probarit,
neq; ego coram dexteritatem iudicij ſa-
tis admirari potuerim, non dubito, quin
amplitudo veſtra in tot tantisq; reipub-
licæ negocijs medicinam tanti, quanti
decet, faciat, ac eius meditatione qua-
dam iucunda ſucciſiuis horis percupidè
fruatur. Itaq; opuſculum hoc perbreue
de vite vinifera, quod ex ſexaginta a-
lijs huiuſmodi, hoc anno in noſtra Aca-*

demia

demia publicè à me traditis, ſeligendũ duxi, vt in communẽ vtilitatem hominum ederetur, nemini niſi amplitudini veſtræ dedicare & ſubmiſsè offerre volui. Peto autem, vt et benignè accipiatis et cum fructu per ocium legatis. Nihil vſitatius vino eſt. Nihil præſtantius eo contingit, ſi dextrè vſurpetur, & ſano cum iudicio inuicem diſtinguatur, moderateq́ adhibeatur. Nihil verò magis exitiale, quàm vinum exiſtit, ſi promiſcuè, indiſtincteq́ bibatur, & intẽpeſtiuè adſumatur. Qua de cauſa Galenus ſcribit: Vinum pueris venenum eſſe. Idem quoq́ rectè adſeuerauit: Vinum prauum remedium eſſe in febribus continuis, à vobis vngaricis dictis. Non enim raró illud in eodem morbo multis lethale, proh dolor, me inuito & néſcio porrectum fuit. Quid verò certius, quàm quod cerebrum & neruos magna

noxa feriat, ſi imbecilliora hæc quis antea habeat, præſertim ſi vinum forte, fuluumq́; exiſtat? Vnde podagra, Arthritis, Apoplexia, Epilepſia, & colica cum inflammatione coli omnium peſſima magis, quàm ex indiſtincto vſu vini oritur? Econtra attendenti parumper et diſcenti differentias vinorũ eorumq́; complexiones tutum bonumq́; vinum ſuo tempore maximo cum fructu adſumere adeò difficilè non eſt. Ac ne doctrina de vino quàm pleniſsima cognoſcenda, tœdium vel candidatis medicinæ auditoribus noſtris, in quorum numero quoq; Boëmus doctiſsimus & eximiæ ſpei M. Adamus Matthiades fuit, vel viris ſapientibus aliàs occupatiſsimis faſtidium afferret, quàm breuiſsimus fui. Omitto quæ de aceto, & aqua ardenti, rebus maximi vſus ſimul traduntur. Veſtræ amplitudini

ego

ego quàm commendatiſsimus eſſe ſemper cupio, Valete. Datum in Academia Illuſtri Iulia Hemſtadij Cal. Auguſti Anno 86.

Generoſ. & amplitudini veſtræ.

Addictiſſimus

Iacobus Horſtius D.

VITIS.

Ἄμπελ❍ οἰνοφόρ❍ græcis.
Latinis. Vitis
Germanis Weinſtock dicitur.

Planta quidem omnium vltima maturando eſt: Sed amœnitate, fructu & vtilitate facilè primas tenet. Specierum multarum eſt, adeò vt ne numerari quidem poſſint, ſicut Virgilius in Georgicis de ea cecinit: Libro 2.

Sed neq; quàm multæ ſpecies, nec omnia, quæ ſunt,
Eſt numerus, neq; numero comprehendere refert.
Quem qui ſcire velit, libyci velut æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.
Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus,
Noſſe, quod Ionij veniant ad littora fluctus.
Nec verò terræ ferre omnes omnia poſſunt,

V S V S.

Vſus eius eſt:

Et in folijs,

Et

Et in fructu, ſcilicet vuis,
Et in ſucco,
Et in vini aceto,
Et in radice,

Folia recentia tantùm vſurpantur Emplaſtri loco.

Vua vſurpatur aut recens aut ſicca.

Recens rurſus.

Aut immatura græcis ὄμφαξ dicitur.

Aut matura:

Immatura vua recens vſurpatur & ad ſuccum non inſpiſſatum, vt cùm coquitur ad conſiſtentiam Syrupi cum Saccharo inde fit ſyrupus de agreſta.

Et ad ſuccum inſpiſſatum.

Vnde agreſta vel Omphacium.

Vuæ maturæ recentes adhuc crebrius vſurpantur:

Vel integræ, & bifariam: Primùm ſi comedantur cum cute & acinis. Deinde ſi abſq; cute & ſemine exugantur.

Vel expreſſæ ad ſuccum: vel admixturam ſucci cum aqua, vnde in vltima expreſſione δευτερία græcis. Lati-

nis Lora Germanis Laur.

Vuæ ſiccæ aut integræ ſuſpēduntur, & aliqua ex parte exiccantur. Quæ minus humiditatis habent, minus inflant, & ſalubriores ſunt, quàm recentes.

Aut ſole ſiccantur vnde fiunt vuæ paſſæ.

Quæ triplices hodie inueniuntur.

Primi generis. Vuæ maximæ paſſæ: olim Damaſcenæ, hodie officinis Cibebæ vel vuæ Cibetites dictæ Germanis Cybeben.

Secundi generis. Vuæ paſſæ mediæ, hodie paſſulæ maiores Groß Roſin.

Tertij generis. Vuæ paſſæ minimæ q̃ ſunt ſine nucleis, officinis Corinthiacæ, vulgò paſſulæ minores klein Roſin.

SVCCVS vuæ vſurpatur.

Aut coctus, aut non coctus.

Succus vuæ coctus duplex habetur. Vnus vſurpatur ad ſapā vini, cuius vſus eſt in compoſitionibus quibuſdā, & ſapa & Rob ferè pro eodē habetur. Alter ad condiendum cum ſaccaro, et aromatibꝰ, ſi coquitur diutius ad for-

mam Rob. VndeRob vini magis compoſitum.

Quorum hic domi pro ſalſamentis:

Ille in officinis vſurpatur.

Succus non coctus rurſus triplex eſt.

Vnus muſtum, quod nihil aliud eſt quàm ſuccus non defecatus.

Alter. Vinum, quod ſuccus vuæ probè defecatus habeatur.

Tertius eſt acetum quod nihil aliud eſt, quàm vinum corruptum.

Vini autem muſti & aceti non tantùm in cibo, verùmetiam in medicamentis multiplex vſus eſt.

Tum ad adoramenta,

Tum ad emplaſtra,

Tum ad epithemata,

Tum ad vnguenta,

Tum ad potiones.

Sed ſpecies tùm vini tùm aceti cõplures inueniuntur. Quarum vtiliſſimas medico non tantùm noſſe, ſed etiam probè diſtinguere ſemper oportet.

Differentiæ igitur vini præcipuæ hæ ſunt.

Prima ſumitur ab eſſentia. I. Vi-

I. Vinum aliud eſt ſimplex,
Aliud compoſitum,
Secunda ab ætate
II. Vinum ſimplex aliud nouum,
aliud vetus,
aliud medium.
Tertia à conſiſtentia
III. Vinum aliud eſt tenue,
Aliud craſſum,
Aliud medium.
Quarta à colore
IIII. Vinum aliud eſt rubrum
Aliud album.
Quinta eſt ſubdiuiſio coloris rubri ratione.
V. Vinum rubrum aliud eſt nigrum,
aliud fuſcum,
aliud ruffum.
Sexta eſt ſubdiuiſio coloris albi ratione.
VI. Vinum album aliud ſimpliciter dicitur album, aliud fuluum ſeu flauum, aliud medium.
Septima à ſapore.
VII. Aliud habet qualitatem vuam in ſapore. Ali-

Aliud qualitates plures ſimul, vt Vinum dulce aſtringens acre ſimul.

Octaua ſumitur à ſubdiuiſione ſimplicis ſaporis.

VIII. Vinum vnius qualitatis in ſapore.

Aliud dulce,
Aliud auſterum,
Aliud medium inter illa.

Aliud acerbum, quod magis aſtringens eſt quàm auſterum.

Aliud acre,
Aliud amarum,
Aliud acidum.

Quorum genera poſteriora duo Galenus vult per accidens accidere vino.

Nona ab odore.

IX. Vinum aliud eſt odorum, aliud inodorum.

Decima eſt ſubdiuiſio odoris ratione

X. Vinum odorum aliud eſt boni odoris.

Vnde in officinis ſcribitur vinum odoriferum.

Aliud

Aliud mali odoris vt vina fœtida.

Vndecima à virtute ſeu efficacia.

XI. Vinum aliud eſt potens,
aliud imbecillum.

Potens aliàs dicitur forte vel etiam generoſum.

Imbecillum vinum dicitur aquoſum.

Et inter hæc duo genera vini ſemper ſtatuatur etiam medium.

Duodecima à loco natiuo.

XII. Vina alia ſunt ignobilia,
alia nobilia.

Ignobilia intelligi poſſunt vina communia ſeu vulgaria,

Siue Francica:
Siue Miſnenſia,
Siue Marchiaca,
Siue Luſatia.

Nobilia autem quæ hodie celebriora ſunt, hæc numerantur:

1. Rhenana.
2. Morauica.
3. Auſtriaca.
4. Vngarica.
5. Italica.

6. Græca.
7. Vipaca.
8. Maluatica.
9. Rhetica: Vbi ſemper aliud vinum alio nobilius inuenitur, verbi gratia.

Inter Morauica, Auſtriaca & Vngarica, hæc virtute ſeu potentia antecellunt: Morauica minima ſunt. Auſtriaca media. His autẽ omnibus ratione ſanitatis præfertur Rhenanum. Nobiliſſima omnium Vipaca, Maluatica, Græca & Rhetica habentur.

Decima tertia à ſubdiuiſione compoſitorum.

XIII. Vina compoſita,
Alia ſunt ſimpliciter talia per ſe compoſita,
Alia adhuc diluta aqua.

Decima quarta à ſubdiuiſione compoſitorum ſimpliciter per ſe.

XIIII. Vina cõpoſita per ſe rurſus
Alia ſunt confecta ex aromatibus & aromatiſata dicuntur:
Alia ex herbis.

Deci-

Decima quinta ſumitur à diuiſione vinorum aromatiſatorum.

XV. Vina aromatiſata
Alia ſunt clareta.
Alia Luterana.
Alia alij modis medicata

XVI. Vina confecta ex herbis & alijs materijs itidem varia ſunt.

1. Aliud enim eſt vinum extractionis auri.
2. Aliud vinum acatiæ.
3. Aliud vinum abſinthidos.
4. Aliud vinum citrium.
5. Aliud vinum enulatum.
6. Aliud vinum euphragiatum.
7. Aliud vinum hyſſopicum.
8. Aliud vinum Lauendulæ.
9. Aliud vinum Roſmarini.
10. Aliud vinum Saluiacum.
11. Aliud vinum ſcolopendriacum.
12. Aliud vinum ligni Guaiaci infuſum in vuis recentibus germanis dicitur Beer Wein von Holtz.

Decima ſexta à deſtillationis differentijs.

VXI.

XVI. Aliud rurſus vinum deſtillatur ex fece vini, Aliud ex vino ipſo præparatur & vtrunq; dicitur vinum ſublimatum vel ardens, vel aqua ardens ꝙ variat ratione maioris & minoris deſtillationis. Explodendum eſt vinum ſublimatum ex vaporibus aliarum rerum, nec hîc intelligatur.

Decima ſeptima ſubdiuiſio vini ſublimati.

XVII. Vinum ſublimatum.

Aliud eſt ſimplex: aliud aromatiſatū. Quorum hoc ab illo differt, quòd ſimul cum vino varia aromata diſtillentur.

Decima octaua ſumitur à ſubdiuiſione compoſitorum cum aqua.

XVIII. Vina diluta aqua quoq; diligentiùs diſtinguentur.

Alia enim ſunt, vbi minimum aquæ & plurimum vini miſcetur, vt manifeſta repræſentatio vini ſemper maneat, qualia vina maximè ſanis conueniunt.

Alia verò ſunt, vbi econtrà mini-

mum vini & plurimum aquæ miſcetur, vt manifeſta ſemper repræſentatio aquæ maneat. Qualia vina ægris febricitantibus maximè conueniunt, quòd & refrigerent magis, quàm ipſa aqua. Hæc de ſpeciebus vini.

Vinorum autem vſus eſt,

Tum ad alimenta & in cibis & in potionibus, tum etiam ad medicamenta, eaq; tùm externa tùm interna.

ACETVM vbi in autoribus legitur, ſemper acetum vini intelligendum eſt. Nec acetum aliud quid eſt, quàm vinum acidum, vnde quibuſdam vinum mortuùm dicitur.

Hoc iterùm duplex vſurpatur. Vnum ſimplex alterum compoſitum. Acetum ſimplex non eſt ad vnguem, cùm teſte Galeno ex contrariis conſtet! tamen ad differentiam compoſiti, ſimplex dicatur neceſſe eſt, atque aliud album aliud rubeum inuenitur, quorum illud ſemper præſtantius habetur.

Ace-

Acetum compoſitum variorum generum eſt.

Horum enim aliud eſt acetum violacium:
Aliud roſaceum,
Aliud acetum mulſum oxymel dictum,
Aliud ſcyllinum acetum,
Aliud oxymel ſcyllinum,
Aliud paſſularum,
Aliud ſyrupus acetoſus ſimplex,
Aliud ſyrupus acetoſus compoſitus,
Aliud oxyſaccara ſimplex & compoſita.

Aceti ſimplicis vſus eſt:

Et in cibo,
Et in ſalſamentis,
Et in medicamentis tùm externis, tùm etiam internis:
Vel ad potiones, ſicuti theriaca & ſimilia aceto diluuntur.
Vel ad lotiones oris, ſi miſceatur cum aqua, quod ſæpius in vſu eſt etiam contra ſitim.

Vel ad odoramenta,
Vel ad Epithemata.
Vel ad infundenda ſemina,
Pulueres, aliaq́; medicamenta.
Acetum violaceum vſurpatur:
Et ad Epithemata,
Et ad ſalſamenta,
Sicut quoq; acetum paſſularum,
acetum roſaceum.
Omnium creberrimè in Syncope vſurpatur.
Acetum Scyllinum in compoſitione
medicamentorum.

Oxymel multis modis vſurpatur: aliter Dioſcoridi: aliter Galeno: aliter Meſuæ. Atq; hæc præparatio hodie in officinis tantùm in vſu eſt, ex aceto aqua & melle, & habetur oxymel aut ſimplex: aut compoſitum: aut oxymel etiam Scylliticum,idq́; iterum duplex. Vnum ſimplex,alterum compoſitum.

Quorum omnium vſus eſt multiplex: Tum ſi ſolum lambatur vno vel altero cochleari, tùm etiam ſi cum aquis deſtil-

deſtillatis vel cum alijs liquoribus in forma potionis miſceatur.

Syrupus acetoſus ſimplex eodem modo vſurpatur:

Ὀξυσάκχαρα duplex quoq; habetur. Vna ſimplex altera compoſita. Et vſurpatur vel ſola lambendo, vel in forma potionis, ſi cum aquis & decoctis miſceatur.

Radix vitis intelligitur, non tantùm ea quæ eſt interna, ſed etiam racemus, à quo dependent vuæ. Illius cinis vſurpatur ad lixiuia pro lotionibus, tùm capitis tum etiam pedum, nec non pro epithematibus.

SVBSTANTIA.

Subſtantia partium vitis variat:

Subſtantia foliorum vitis eſt terrea, licet recentiorũ ſub aquea quodammodo videatur.

Subſtantia vuarum immaturarum eſt terrea quoq;.

Subſtantia vuarum maturarum earumq; recentium, quò ad ſuccum &

carnem eſt aquea, vnde laxat: quò ad membranas & ſemina, terrea aſtringensq;.
Sed earum ſubſtantia occulta atque admiranda quoq; obſeruetur.
Vna eſt nutriendi, quia inter fructus fugaces magis nutriũt & minus praui ſucci habent, licet pro diuerſitate ſpecierum dulces vuæ magis nutriunt: auſteræ minùs, acerbæ minimè.
Altera ſubſtantia eſt laxandi vel purgādi maximè in pinguibus & dulcib.

Subſtantia vuarum paſſarum.

Alia quoq; occulta.
Alia manifeſta eſt cognoſcenda.
Occulta ſubſtantia paſſularum præſertim minimarum eſt valde Hepatica, quod à tota ſubſtantia iecur & lienem corroborant. Teſte quoq; Galeno 3. de medicamentorum compoſitione.
Manifeſta eſt aquea mixta cum aliqua terrea, ita vt in ſe contineat aliquid aſtringens. Sed tamen multum variat, ratione eius, quòd aliæ ſint pin-

pinguiores: aliæ ſicciores, quarum hæ ſemper magis aſtringunt & minus laxant, illæ contra ſe habent.
Sic paſſulæ maximæ, cibebæ dictæ, maximè ventrem laxant.
Paſſulæ corinthiacæ dictæ omnium minimè, præſertim ſi aridæ ſint, & ſicciſſimæ: mediæ dictæ ſunt paſſulæ maiores medio modò laxant.
Subſtantia ſapæ manifeſta eſt tantùm, ſcilicet aquea, vnde laxat ventrem magis & purgat aduſtos humores atq; atram bilem, vt videlicet in ſyrupo de epithimo.
Subſtantia Rob vini aromatiſati non tàm laxat quàm corroborat, ideoq; eius ſubſtantia aquea minus habetur, & magis ad terreſtrem accedit. Subſtantia muſti manifeſta quoq; tantùm habetur, eſt autem aquea & craſſiorum partium, vnde ſimul laxat ventrem & inflat.
Subſtantia vini latiùs patet.
Alia enim eſt occulta, alia manifeſta.
Subſtantia vini occulta multiplex exiſtit.
 1. Nu-

1. Nutrire.
2. Neruos, caput & mentem tentare, ac immodicè ſumptum, prudentiæ nocumentum & neruorum noxam eſſe.
3. Penetrare & inprimis ad Renes & articulos pertranſire.
4. Mentem exhilarare & ſpiritus cordis regignere.

Sed & hæ ſubſtantiæ occultæ pro diuerſitate ſpecierum vini magis minusq; habentur. In nutriendo valent hæ Regulæ.

1. Dulcia vina magis nutriunt quàm alia.
2. Vina craſſa, magis nutriunt quàm tenuia.
3. Vina rubea dulcia magis nutriunt, quàm alba dulcia.
4. Vinum auſterum & aquoſum minimè nutrit

Deinde ſimiliter in feriendo neruos & caput hæ regulæ teneantur.

1. Vina fulua magis caput petunt quàm alia.

2. Vina tenuia magis capiti & neruis nocent quàm craſſa.
3. Vina potentia magis quàm imbecilla.

Poſtremò in penetrando & pertranſeundo ad Renes & articulos hæ quoq; regulæ vtiles ſunt.

1. Vinum poſt caſeum bibere duplo plus calculum gignit.
2. Vinum epotum cum petroſclino prodeſt calculoſis & arthriticis.
3. Vinum epotum cum Betonica & floribus Stœchados arthriticis magis prodeſt. Vinum cum Saxifraga epotum magis calculoſis.
4. Vina tenuia fulua & fortiora omnium maximè neruis nocent.

Manifeſta ſubſtantia vini ex differentijs vinorum antea declaratis conſtat. Sufficiat igitur ſcire.

1. Craſſiſſima vina eſſe nigra, minus craſſæ ſubſtantiæ eſſe fuſca & rubea minimè omnium fulua aut alba.

2. Vina fulua omniũ tenuiſſima ſunt; alba verò omnium minimè: media medio modo ſeſe habent.

Subſtantia vini ſublimati eſt tenuiorum partium.

Subſtantia aceti alia eſt occulta alia manifeſta.

Occulta eſt alexipharmaca quòd reſiſtat venenis.

Manifeſta verò eſt tenuium partium, eoquè magis, quò validius acetum exiſtit.

Subſtantia radicis Vitis eſt terrea, licet cinis radicis magis abſterſoria & ignea exiſtat.

TEMPERAMENTVM.

Vitis κρᾶσις ſeu complexio pro ratione partium iterum diligenter diſtinguenda eſt. Folia vitis ſunt frigidæ & ſiccæ naturæ in primo gradu.

Vuæ immaturæ & ſuccus earum omphacium eſt frigidi & ſicci temperamenti in ſecundo gradu.

Vuæ maturę recentes, teſte Simeone Sethi, calidæ & humidæ ſunt in primo gradu. Mu-

Muſtum, teſte Galeno, eſt calidum & ſiccum in primo gradu.

Vinum nouum calidum & ſiccum in ſecundo gradu eſt. Vetus in tertio. Sed in gradibus, vini magna varietas eſt, pro qua hæ teneantur regulæ.

1. Quò vetuſtiora vina, eò calidiora.

2. Quò generoſiora, eò calidiora.

3. Vina aquoſa imbecilliora minus calida ſunt: magis fortia: generoſiſſima omnium maximè: auſterum omnium minimè, vt non rarò apud autores legatur refrigerare quorum hoc ſemper reſpectiuè, ſi vinum ad aliud conferatur, intelligendum eſt.

4. Vina alba ſunt calidiora, rubea minus.

5. Rubea nigra & craſſa minimè calida ſunt, ũde quoq; reſpectiuè ad alba collata vina rubea refrigerare dicũt.

6. Vina fuſca calida ſunt, vina ruffa magis, vina fulua maximè.

7. Vina fulua rhenana minus calidę naturæ ſunt. Vngarica fulua magis. Retica & Maluatica maximè.

Vina verò medicata pro natura compoſitionis calidiora magis minusq; redduntur, nonnunquam etiam frigidiora. Vinum ſublimatum pro deſtillationis diuerſitate. Vinum enim ex optimo vino deſtillatum calidius & ſiccius eſt quam ex fecibus vel vino ignobiliori:

Dein vinum bis fermè deſtillatum, fortius altero exiſtit.

Vinum enim ſublimatum aliâs aqua ardens vel aqua vitæ dicta, non intelligatur aliud, quàm ex vino deſtillatum in medicis operibus. Atq; omne hoc calidum & ſiccum in quarto gradu habetur, & in magna copia ſumptum ignis abſolutè ferè redditur.

Huius ſiccitatis in vino teſtimonium Galenus in 8. de ſimplicium medicamentorum facultatibus notat, vbi dicit: Vinum ex ſecundo ordine eſt calefacientium, vetus ex tertio, muſtum ex primo. Caliditati proportione reſpondet ſiccitas.

Idem alibi tertio de pulſibus:

Victus

Victus ſi diutius durat ſiccus, & medicamentorum exiccantium eſus potioq; excedat, in quibus eſt vinum meracum, inedia &c. homines exiccantur. Nec obſtat, quod Galenus alicubi vinum humidum ſtatuit. Verbi gratia, primo de temperamentis dicit:

Sanguis, pituita, adeps, vinũ, oleum, vel quicquid huic ſimile eſt humidũ dicitur. Nam Galenus ibidem vini naturam ſeu temperamentum per ſe abſolutè conſiderat, ſicuti Phyſici, quod humidum præpolleat in uino ratione portionis elementorum, & eatenus reuera eſt humidum. Hic verò in doctrina ſimplicium medicamentorum qualitates non abſolutè conſiderantur, ſed quatenus conferantur ad hominem primum ad temperatum & εὔκρατον Dein ad intemperatum: Tertiò ad ægrũ & eatenus vinum eſt temperamenti calidi & ſicci, hoc eſt, quod omnes homines calefaciat & exiccet, ſed adhuc obijci poſ-

ſet

ſet aliud Galeni in Epidemijs: In ſputo facilitando, vbi ſunt ſicciores tuſſes, ibi mulſa & vinum magis, quàm aqua humectant, & ante Ptiſanam aſſumenda ſunt. Sed facilis ſolutio eſt per diſtinctionem diuerſi temperamenti, quorum aliud eſt in vino ἐνεργείᾳ vel actu, aliud eſt potentia temperamentum. Quod actu exiſtit, iterum humidum eſt, nec diu durat: Temperamentum verò in potentia vini, quod maximè in homine operatur ſiccum eſt atq; manet.

ACETVM tanquam vinum mortuum ſine omni controuerſia doctiorum eſt temparamēti ſicci in tertio gradu, de altera qualitate, vtrum ſit calidum vel frigidum, variant autorum ſententiæ, cum alij calidum in ſummo gradu, alij frigidum in ſumō ſtatuunt, alij vtrumq; in aceto vini inueniri velint, ſcilicet calidum in quibuſdam partibus aceti, frigidum quoque in alijs partibus, alii calidum

qua-

quadantenus, aut frigidum etiam ſubmiſsè maluerunt, de quibus latius vide libro 1. Galenum de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Sed ſi res ipſa ſpectetur, ita ſeſe habet, vt acetum vini diuerſarum partium earumq; contrariarum ſit, atq; ſimul aliquid calidum ratione putredinis, quæ acceſſit, & aliquid frigidum ratione vini emortui adſit, & nihilominus tamen frigidum planè præpolleat, ita vt rectè à Dioſcoride & Galeno acetum vini frigidum in primo gradu & ferè in ſecundo dicatur, licet etiam acrius acetum eò calidius euadat, tamen ſemper plus frigidi retinet.

RADIX vitis eſt frigidi & ſicci temperamenti in ſecundo gradu eius verò cinis calidior redditur.

VIRES iterum pro ratione partium diſtinctæ ſunt.

1. In foliis vitis eſt prima facultas actu humectare, quod tamen parum diu durat: & potius potentia refrigerare & exiccare.

2. Aſtringere.
3. Sanare vlcera capitis & aliarum muſculoſarum partium.

Deinde in vuis immaturis, ſeu ſucco omphacio dicto, ſeu ſyrupo, inde compoſito, ſcilicet ſyrupo de Agreſta.

1. Refrigerare & exiccare multum.
2. Aſtringere.
3. Vomitum & profluuium alui ex bile ſedare & ſitim in febribus lenire.

Tertiò in vuis maturis.

1. Calefacere & humectare.
2. Ventrem laxare.
3. Purgare & flatus gignere.

Quartò in vuis paſſis.

1. Calefacere & parumper humectare cum modica aſtrictione.
2. Contemperare bilioſos & craſſos humores atq; detergere in loco.
3. Laxare ventrem, eoq; magis quò ſunt pinguiores.

Facultas paſſularum minorum ratione totius ſubſtantiæ.

Eſt corroborare hepar & lienem.

Quin-

Quintò ſapæ.

1. Calefacere & humectare parum.
2. Emollire.
3. Laxare ventrem.
4. ratione ſubſtantiæ

Purgare aduſtos humores & melancholicos.

Sextò Rob vini Aromatiſati.

1. Calefacere & exiccare:
2. Attenuare & incidere humores craſſos.
3. Diſcutere flatus & corroborare cor atq; ventriculum.

Septimò muſti.

1. Calefacere & exiccare parum.
2. Incraſſare & flatus gignere.
3. Laxare ventrem.

Octauo vini.

In omnibus generibus eſt calefacere & exiccare, ſed tamen pro ratione maioris & minoris tanta differentia eſt, vt ſi ad ſeſe inuicem vina conferantur, ſubinde alia minus alia magis calefaciunt, & non incommodè reſpectu alterius vini quædam refrigerare dicantur.

Verbi gratia.

Rubeum tàm parum calefacit, vt reſpectu albi refrigerare dicatur: Rurſus aliquid album, veluti album aquoſum & auſterum, reſpectu flaui, tàm parum calefacit, vt & alicubi apud autores legatur, refrigerare, ꝙ nunquam de propria natura per ſe intelligatur, ſed quod minus calefacit, collatione ad alia vina calidiora.

Secunda facultas ferè in ſingulis gradibus variat, ideoq; vini albi auſteri ſecunda vis eſt aſtringere.

Tertia eſt,

Fluxiones repercutere.

Vini dulcis ſiue albi ſiue flaui ſecunda facultas eſt.

Dirigere atq; cōcoquere ſemicrudos humores, & craſſam pituitam incidere, ſed omnium maximè fulua vina.

Tertia facultas.

Aperire obſtructiones hepatis & lienis, hæmorrhoides prouocare, vrinā & mēnſes mouere.

Vini

Vini rubei & craſſi ſecunda facultas.

Aſtringere.

3. Obſtructiones viſcerum gignere, flatus augere, menſes ſiſtere & calculo nocere.

Nonò vini ſublimati.

1. Calefacere & exiccare quàm maximè.

2. Diſcutere flatus, craſſos humores, etiam penetrare ad remotiſſimas partes.

3. Mouere menſes, vrinam & quoq; ſudorem.

Decimò vinorum medicatorum.

1. Eadem ferè manet, ſcilicet calefacere & exiccare, ſed multum variat pro ratione maioris & minoris, quòd ex temperamento cuiuſuis herbæ vel aromatis proprietate quo medicatũ vinum reddimus, facile coniicere licet.

2. Attenuare, incidere craſſa.

3. Aperire viſcera pro cuiuſq; herbę vel aroma is proprietate. Verbi gratia:

Scolopendriacum lieni prodeſſe:
Roſmarinum capiti & neruis.
Abſinthiacum ventriculo & Hepati.

Alicubi tamen præparatur vinum Acaciæ noſtratis cuius virtutes planè contrariæ ſunt.

1. Calefacere in primo, vel ferè refrigerare & exiccare multùm.
2. Aſtringere.
3. Siſtere omnes fluxiones ſiue ſanguinis, ſiue menſium, ſiue alui.

Vndecimò aceti.

2. Refrigerare & exiccare.
2. Repellere & ſimul incidere, attenuare & diſcutere Galen. 2. de comp. medica. ſecundum loca.
3. Fluxiones ſiſtere & tumores reſoluere.
4. ratione ſubſtantiæ.

Contra peſtem & venena multum prodeſſe.

Duodecimò vitis radicis.

1. Refrigerare & exiccare.
2. Aſtringere.

3. Repercutere fluxiones. Verumtamen in cinere aliquid caliditatis acquirit, & aſtrictionem temperat, ideoq; cõtra tumores vel hydropicos, vel œdematum vel eryſipelatum, lixiuium inde paratur & cum ſapone venetiana præparatum adhibetur cum linteo epithematis modo præparato.

REMEDIA.

Medicamenta hæc inde ſumuntur probatiſſima.

I.

Folia vitis ſcabiei ſiccæ vel capitis vel aliarum partium exterius impoſita, primo actu emolliunt eam, ſed maiori aſtrictione ſtatim iterum exiccant, repellunt & planè ſanant. *Remedia à folijs Vitis.*

II.

Folia vitis fronti impoſita dolores capitis ex bile vel ex febribus ſanant, vel ſaltem mitigant.

III.

Syrupus de agreſta vomitum, & alui profluuium bilioſum cohibet, ſi vel ſolus lambatur vel cum aliis a- *Remedia ab Vuis immaturis.*

quis & ſyrupis in forma potionis ebibatur.

IIII.

Syrupus de agreſta in febribus & magnis æſtibus ſitim repellit.

V.

Syrupus de agreſta grauidarum mulierum vomitum, ſi neceſſitas poſtulat, reprimit ac ventriculum firmat.

VI.

Oleum omphacinum cum foliis.
Sampſuchi Mi.
Serpilli Mij
Myrthi M. 5.
Abrotani
Siſimbrici an.p. j.
Caſſiæ ligneæ veræ vncia ſ.
Infuſum & permiſſum ſtare ad ſolem per 8. dies vtile oleum eſt contra inflammationes.

VII.

Idem oleum in balneo inunctum Paralyſin ſanat.

Idem

VIII.

Idem naribus inunctum & auribus immiſſum à flatibus tinnitum ſanat.

IX.

Vuæ maturæ ſi ſine acinis comedantur, paulò copioſius, ventrem laxant, eoq; magis dulces & carnoſæ. *Remedia ab Vuis maturis.*

X.

Vuæ maturæ recentes ventrem inflant, lædunt, & obſtructiones viſcerum gignunt.

XI.

Paſſulæ maximæ cibebæ dictæ, ſi vel ſolæ comedantur quantitate manipuli ante cibum vel iuſculum decocti earum largius bibatur, ventrem ſoluunt. *Remedia è paſſulis.*

XII.

Paſſulæ maiores vel mediæ enucleatæ æquè atq; cibebæ ventrem laxant, eodem modo vſurpatæ, licet paulò minus.

XIII.

Paſſulæ minores Corinthiacæ in

 aqua

aqua frigida infuſæ, ſi in paroxiſmis febrium vel aliâs in æſtu commedantur, ſitim leniunt.

XIIII.

Paſſulæ Corinthiacæ dulces in cibo ſumptæ, benè nutriunt & ſemen augent.

XV.

Paſſulæ dulces ſiue comedantur, ſiue decoquantur in aqua & bibantur, tuſſi ſicciori & exaſperatis faucibus medentur.

XVI.

Paſſulæ dulces, cum aqua hordei, ſi decoquantur, tuſſi proſunt, & ſitim magis leniunt, & aluum emolliunt.

XVII.

Paſſulæ maximæ Cibebæ manipulo j. cum 22. ʒj. & foliis ſenæ vncia decocta in aqua ſufficienti ad remanentiam vnciarum v, ſi colentur vnciæ iiij. & vna vice duabus vel tribus horis ante cibum calidè ebibantur, leniſſima purgatio bilis vtriusq; atq; pituitæ redduntur.

Paſſu-

XVIII.

Paſſularum aliarum eodem modo decoctarum & præparatarum potio eandem efficaciam in purgatione habet licet paulò minus.

XIX.

Paſſulæ corinthiacæ in aceto infuſæ pro ſalſamento in cibis vſurpantur, & tum epar tum renes valdè corroborant.

XX.

Paſſulæ corinthiacæ in parua quantitate & quidem ſæpiùs ab epaticis pro corroboratione vſurpari debent.

XXI.

Paſſularum minorum pinguium atq; dulcium vſus affectibus pulmonis prodeſt.

XXII.

Paſſulæ minores ſubaſtringentes, epati, lieni & renibus magis conducunt.

XXIII.

Sapa loco ſyrupi cum potionibus vel aliis ſyrupis miſcetur & aut lambitur quantitate cochlearium duorū *Remedia à Rob Vini.*

 vel

vel trium, aut in forma potionis ebibitur, atq; aduſtos humores & inprimis melancholicos purgat.

XXIIII.

Rob vini aromatiſatum, vel in ſalſamentis, vel etiam in copioſiori cibo ſumptum ventriculum corroborat, & ſpiritus vitales reparat.

XXV.

Remedia externa à Vino.

Vinum calefactum, & cum linteo in eo madefacto tanquam Epithema applicatum contuſis atque fractis membris dolorem lenit.

XXVI.

Vinum calefactum & cum linteo in eo madefacto applicatum tumoribus, præſertim ſi ſit auſterum medetur, affluxum humorum cohibet atq; repellit.

XXVII.

Vinum vulneribus infuſum cum lana, vel linteo eadem ſanat.

XXVIII.

Remedia interna à Vino.

Vinum in potu ſumptum modicè pueris ſanguinem gignit & ocyſſime in alimentum vertitur.

Vini

XXIX.

Vini proprium eſt citò mutari in alimentum, Galenus libro tertio de temperamento.

XXX.

Vinum duplum minus alit quàm mellis ſimplum. Galenus de ratione victus.

XXXI.

Vinum non habet tempus coctionis præfinitum, ſed ſecundum naturam vini & potatoris tardius citiusq́; digeritur Gal. com. 5.aph.5.

XXXII.

Vina aptiſſima ſunt ad deductionem alimentorum in corpus.

XXXIII.

Vinum concitat validam alterationem Gal.1.de cauſſis pulſuum.

XXXIIII.

Vinum concoctionem in quauis corporis parte adiuuat.

XXXV.

Vinum tempeſtiuè in potu ſumptum

ptum calorem innatum auget, ſpiritus viuificat, & flatus diſcutit.

XXXVI.

Vinum cibi appetentiam excitat, & conualeſcentes faciliùs nutrit.

XXXVII.

Vinum obſtructiones viſcerum aperit, & colorem bonum corpori, conciliat.

XXXVIII.

Vinum cor exhilarat & animum addit.

XXXIX.

Vinum immodicè ſumptum ex accidenti corpus refrigerat, vitioſos frigidosque humores gignit & calorem natiuum ſuffocat.

XL.

Vinum immodicè ſumptum ex accidenti frigidos morbos, ſcilicet, Apoplexiam, Epilepſiam, Paralyſin. Tremorem, ſtuporem, conuulſionem & ſimiles gignit.

XLI.

Vinum immodicè ſumptum memoriæ

moriæ nocet,& ſenſus omnes perturbat,aſſiduos morbos parit,& repentinam mortem ſæpè affert.

XLII.

Vinum refrigeratum niue aut aqua aut glacie cerebro, neruis, pectori & pulmoni atq; ipſi hepati ſenſim nocet & magno detrimento eſt.

XLIII.

Vina fortia eaq; multa epota ante cibum cauſant podagram.

XLIIII.

Vinum in principio menſæ ab hominibus calidioris naturæ ſumptum valdè nocet Gal.6. de tuen. ſanitate.

XLV.

Vinum calidis & ſiccis naturis corporum præſertim in adoleſcentia ſemper nocet, Galenus ibidem.

XLVI.

Vinum ægros omnes, exceptis febricitantibus reficit, Galenus 7. meth. med.

XLVII.

Vinum acceptum in pleuritide

ante

ante euacuationem nocet: Gal.com. 1.de rat.victus in morbis acutis.

XLVIII.

Vinum in Pleuritide dari poſt euacuationem nullum poteſt, niſi album aquoſum. Hipp. de rat. victus in morbis acutis.

XLIX.

Vinum in febribus magnis continuis dictis ſemper nocet. Galen. 11. meth.med. cap. 7.

L.

Vinum in tertianá febri non dandum eſt, niſi poſt concoctionem.

LI.

Vinum ſalubre remedium eſt in febribus ephemeris ex laſſitudine & mœſticia.

LII.

Vinum quoq; in quartana magis conceditur.

LIII.

Vinum poſt euacuationem perfluxionem alui vel ſanguinis vel alterius generis, ſi quis bibat ante cibos,

bos, incidit ſtatim in conuulſionem Gal. com.2. Aph. 21.

LIIII.

Vinum & facit conuulſionem & ſanat Gal. com:5. Aph 5.

LV.

Vinum capitis doloribus ab ardore & pulſibus temporũ nocet. Galen. de arte curatiua ad Glauconem.

LVI.

Vinum capitis dolorem per conſenſum ſanat Gal lib.2. de comp. medicamentorum.

LVII.

Vini potio ſanat oculorum dolores, ſi ſine plethorica totius corporis diſpoſitione copia ſanguinis craſſioris in oculorum venulis contineatur Hipp. 6. Aph. 31. & Gal.3. meth.

LVIII.

Vinum euacuat per ſudores & per vrinas Hipp. de ſalubri diæta.

LIX.

Vinum frigidum corpus roborat Hipp. ibidem.

Vinum

LX.

Vinum modicum calidum eſt dãdum frigidis & humidis naturis, Galenus comment. 1. in Hippo de epidem morb.

LXI.

Vini potio ſanguinem ſui motus vehementia diffundit, & obſtructiones aperit, Galenus com.6.Aph.21.

LXII.

Vini potio hœmorrhoides & menſes mouet.

LXIII.

Vini potio in qua nodulus cum
Sem. Fœnic.
Flor. Anthos
Rad. Rhodia
Arom. Macis &
Cinamomo infuſa fuerint & ante menſes & tempore meuſium ſæpiùs mane veſperiq; ebibita contra obſtructionem menſium valet.

LXIIII.

Vinum non toleratur à plethorica diſpoſitione Gal.com.7.Aph.46.

LXV.

Vinum eſt optimum antydotum, & habet valentes vires ad mitigandum Gal. 14. meth. med.

LXVI.

Vinum ſomnum conciliat. Galen. com. 3. in Epidem. & 4. deſimp. med. facult.

LXVII.

Vinum omnes humores optimos reddit Gal. com. 7. Aph. 56.

LXVIII.

Vinum ſenes iuueneſcere facit. Galen. lib. quod animi mores ſequãtur temperamentum corporis.

LXIX.

Vinum poſt purgationem in prandio ſumptum dolores capitis auget.

LXX.

Vulnerati in capite à potu vini ſeſe abſtineant. Galenus 2. de compoſitione medicament. ſecundum loca.

LXXI

Vinum ſine cibo lædit Gal. 6. de morbis vulgaribus.

LXXII

Vinum ſi mox à balneis præ omnibus alijs cibis & potibus bibatur caput tentat, & omnes neruos lædit. Hipp. de ſalubri diæta.

LXXIII.

Vinum in balneo epotum neruos valdè lædit, & arthriticos ſubitò efficit, nonnunquam etiam Paralyſin gignit.

LXXIIII.

Vinum à balneo non conuenit niſi ſenibus idq; aquoſum.

LXXV.

Vinum album & quod parum tolerat aquæ poſt balneum ſalubre eſt, ſi antea cibos quis ſumpſerit nec fuerit æger.

LXXVI.

Vinum puerperis datum poſt partum, dolorem capitis & ſæpè conuulſionem gignit, nec non deliriũ parit.

LXXVII.

Vinum bibere intereſt vt venter retineat & coquat lib. in rationē victus acut.

Vinum

LXXVIII.

Vinum in potu magis prodeſt uod vnusquisq́; libenter bibit. Gal. .de compoſ.med. ſecundum loca.

LXXIX.

Vinum obeſt plurimis ægris 6. de ıorb. vulg.

LXXX.

Vinum ſalubre remedium eſt ad olluendos dentes poſt eſum lactis, dque multò magis ſi miſceatur cum ıelle. Gal.3.de alim. facult.

LXXXI.

Vinum valet contra Hyoſciamum.

LXXXII.

Vinum decoctum cumHyoſciamo, ; ſi eo lauentur nares, & tempora onciliat ſomnum.

LXXXIII.

Vinum à Dioſcoride in frag. ſcribi-ır, valere contra venenum opij, ſed oſtra experientia conſtat, non ſatis eſiſtere veneno opij.

LXXXIIII.

Vinum ad periculum vehementiſ-

ſimorum ſymptomatum quandoque exhibetur, vt contra Syncopen ex repletione.

LXXXV.

Vini potio nocet morbillis & variolis, licet communis vſus quodamodo excipiat rubeum vinum, quod intelligendum eſt de ijs, qui cerebrum & neruos fortia tutaq; ab Epilepſia habeant.

LXXXVI.

Remedia à Vino dulci in ſpecie ſumpta.

Vinum pueris nocet tanquam venenum. Gal. 1. de tuen. ſan.

LXXXVII.

Vinum pueris & adoleſcentibus nocet, maximeq; gracilibus, hoc eſt, calidis & ſiccis. Gal. 6. de tuen. ſan.

LXXXVIII.

Vinum dulce multum nutrit.

LXXXIX.

Vinum dulce & nigrum ſanguinem nutrit, capitis vertiginem, corporis grauedinem, ſtomachi turbationem & ſomnos graues affert.

XC.

Vina

Vina dulcia craſſa generant ſanguinem poſt rubea. Gal.de facul.nat.

XCI.

Vinum dulce rubeum craſſum eſt nutribilius, & poſt hoc nigrum craſſum dulce, & poſt hoc album craſſum dulce. Gal.in lib.15.

XCII.

Vinum dulce nouum ægrè concoquitur & inflat.

XCIII.

Vinum dulce ventrem ſubducit, minus tamen vinoſum. Gal.com.3.de ratione victus.

XCIIII.

Vinum dulce craſſum magis ventrem mollit.

XCV

Vinum dulce poſt pruna magis deijcit ventrem.

XCVI.

Vinum dulce vinoſum, vel etiam aliud vinum vinoſum, hæmorrhòides & menſes aperit mouetq́;.

XCVII.

Vinum dulce vinoſum omni ali vino magis penetrat vrinamquè mo uet.

XCVIII.

Vinum dulce bilem auget & tum picrocholis tùm etiam febricitantibus nocet.

XCIX.

Vinum dulce ſitim auget. Gal. 3 de ratione victus.

C.

Vinum dulce vetus lædit neruos & articulis valdè nocet. Dioſcorides.

CI.

Vinum dulce forte magis quoq; caput, neruos & articulos lædit.

CII.

Vinum dulce ſputum educit efficacius, quàm vllum aliud. Hipp. de vict: in morb. acut.

CIII.

Vinum dulce imbecillum minus vinoſo, caput petit.

CIIII.

Vinum

Vinum dulce aſperitates arteriæ & thoracis lenit & mitigat.

CV.

Vina dulcia augent obſtructiones hepatis & lienis, & hepati nocent, maxime vbi noua fuerint. Galenus in comp.de ratione victus.

CVI.

Vina dulcia nocent omnibus, quibus aut viſcera tumeſcunt, aut renes obſtructos habent.

CVII.

Vina dulcia ſanguinem craſſum gignunt.

CVIII.

Vinum dulce rubeum non facit vitioſos humores. Gal.de boni & mali ſuc. cibis.

CIX.

Vinum nullum tenue exquiſitè eſt dulce, ideoq; in medicationibus prodeſt. Gal.com. 3. de ratione victus in morb. acut.

CX.

Vina omnia, quæ nec craſſa valdè

nec dulcia vina ſunt, vetuſtate fiunt flaua, corruſcantia inſtar ignis, & magis calefaciunt. Gal. de boni & mali ſuccibis.

CXI.

Vina dulcia fortia conueniunt his, qui refici debent, ſi iecur, lien & renes vitio careant.

CXII.

Vinum dulce turbidum hæret in vijs.

CXIII.

Vinum dulce ſenibus aptum eſt medicamentum. Gal. 5. de ſan. tuen.

CXIIII.

Vina dulcia pallida ſenibus conueniunt. Gal. ibidem.

CXV.

Remedia à vino auſtero in ſpecie ſumpta. VINVM AVSTERVM parum nutrit & multum medicamentoſum eſt.

CXVI.

Vinum auſterum viſcera corporis minus calefacit in potu ſumptum quàm alia vina, excepto tamen acerbo.

Vinum

CXVII.

Vinum auſterum magis calefacit corpus, quàm aqua.

CXVIII.

Vinum auſterum craſſum minus nutrit nigris vel rubeis craſſis.

CXIX.

Vinum auſterum ventriculum roborat. Gal. 12. meth. c. 4.

CXX.

Vina auſtera caput inter omnia minime tentant. ibidem.

CXXI.

Vina auſtera noua in Syncope fugienda ſunt, ſicut aqua; quia digeſtionem non promouent.

CXXII.

Vina áuſtera non amplius auſtera in Syncope à bile omnium optima.

CXXIII.

Vina auſtera nec vetuſtiora valde aſtringunt. Gal. 5. de comp. med. generalium.

CXXIIII.

Vinum auſterũ nigrũ aſtringit. Gal. 5. meth.

CXXV.

Vina auſtera epota alui fluxiones ſiſtunt.

CXXVI.

Vina auſtera dyſſentericis remedio ſunt. Gal. 6. ſymp.med.facul.

CXXVII.

Vino nigro auſtero vtendum eſt in fracturis. Gal. com.3.de fracturis.

CXXVIII.

Vinum auſterum ſi in illo aſtringentia decoquantur ſumach vel galla &c. omnium maximè aſtringunt exterius impoſita.

CXXIX.

Vinum auſterum repellit & repercuſſiuum eſt in affluxu humorum.

CXXX.

Vinum nigrum auſterum omnium maximè repellit. Gal.14. meth. med.

CXXXI.

Vinum nigrum craſſum & auſterum generat ſanguinem craſſum & nigrum, ideoq; auget omnem noxam in melancholicis corporibus.

CXXXII.

Vinum auſterum aquoſum conuenit imbecillas vires habẽtibus. Gal. 7. meth.

CXXXIII.

Remedia à vino acerbo in ſpecie ſumpta

VINVM ACERBVM corpus omnium minimè calefacit magis tamen quàm aqua.

CXXXIIII.

Vinum acerbum minus quàm auſterum calefacit & valdè aſtringit.

CXXXV.

Vinum acerbum minus nutrit quàm auſterum.

CXXXVI.

Vina acerba omnibus vitijs thoracis magis noxia quàm auſtera. Gal. de attenuante victus ratione.

CXXXVII.

Vina acerba vel ſpongia vel lana vel linteo impoſita inflammationibus ſiue cum, ſiue ſine vlcere ab extra efficax remedium ſunt.

CXXXVIII.

Vina acerba exterius impoſita & aſtringunt & repellũt humores affluentes.

VI-

CXXXIX.

Remedia à vino medio in ſapore ſumpta.

VINVM MEDIVM INTER AVSTERVM & dulce, mediocriter corpus & nutrit & calefacit.

CXL.

Vinum medium inter auſterum & dulce magis digerit, & ſemicrudos humores concoquit.

CXLI.

Vinum medium inter auſterum & dulce, ſi magis ad auſterum vergit & ſubaſtringens videtur, inſigne hepaticum remedium eſt, & tum vires imbecilliores reficit, tum fluxus ex imbecillitate ventris & hepatis iucundè tollit.

CXLII.

Vinum medium inter auſterum & dulce, idq; ſubaſtringẽs, ſi ſumatur panis cum hoc vino madefactus, hepaticos ſanat, & in fluxu hepatico vtile remedium eſt.

CXLIII.

Vinum medium & dulce cum pane ſum-

ne ſumptum, & cum pulueribus ſtomachicis atq; hepaticis, mirificè corroborat hepar & ventriculum.

CXLIIII.

Vinum medium inter auſterum & dulce adiuuat perbellè diſtributionem alimentorum in corpus.

CXLV.

Vinum medium inter auſterum & dulce, nec ventrē laxat, turbatue, nec caput adeò petit ſicut fuluum: magis tamen quàm auſterum.

CXLVI.

Vinum medium inter auſterum & dulce, idq; craſſum magis nutrit & minus digerit.

CXLVII.

Vinum medium inter auſterum & dulce album purum ſi bibatur, promptè alimenta omnia in corpus digerit. Gal. 3. de facult. nat.

CXLVIII.

Vinum medium inter auſterum & dulce ruffum, min9 eo calefacit, & minus obſtruit viſcera quàm auſterū, magis autem nutrit.

VI-

CXLIX.

Remedia à Vino acri ſumpta.

VINVM ACRE omnia viſcera corporis magis alijs vinis calefacit, omniumq; maximè penetrat.

CL.

Vinum acre & vetuſtum vtile remedium eſt ijs, qui frigidos humores habent. Gal. de bonis & malis ſuccis.

CLI.

Vinum acre omnibus, qui calidos habent humores detrimento eſt.

CLII.

Vinum acre vtile remedium eſt ad parandos paſtillos de vipera in theriaca. teſte Galeno.

CLIII.

Vinum acre maximè conuenit ad interficiendos piſces, vt lampretas & ſimiles.

CLIIII.

Remedia à Vino aquoſo ſumpta.

VINVM AQVOSVM non adeò adiuuat concoctionem. Galenus 1. de anti.

CLV.

Vina aquoſa tenuia pauciſſima ſunt

ſunt alimenti. Gal. de bonis & malis ſuccis. item com. 2. Aph. 18.

CLVI.

Vinum aquoſum non degenerat omnino ab aſtringente. Gal. com. 3. in Hipp. de vict. in morb. acutis.

CLVII.

Vinum in febribus tertianis dandum non eſt, niſi poſt concoctionem & tunc quoq; nullum aliud niſi aquoſum. Galen. lib. 1. de arte curatiua ad Glauc.

CLVIII.

Vinum aquoſum in febribus tantùm ſuo loco licet.

CLIX.

Vinum aquoſum in febribus ephemeris ex laſſitudine prodeſt.

CLX.

Vinum aquoſum minime caput tentat. Gal. 12. Method.

CLXI.

Vinum aquoſum in febri acuta nõ cõceditur, niſi ijs qui aſſueti ſunt, idq; aquoſum vel dilutum cum aqua

Hipp.

Hipp. & Galen. de ratione victus in morbis acutis.

CLXII.

Vinum aquoſum in febribus promouet euacuationes per vrinam & ſudorem.

CLXIII.

Vinum aquoſum poſt dulce ſputum educit. Gal.com.3. de rat.victus.

CLXIIII.

Vinum aquoſum in Hydrope remedio eſt & vrinam mouet. Gal. 12. meth.

CLXV.

Vinum ſi aqua poſt bibatur caput non tentat. Galen.com.3. de rat.vict. in acut.morbis.

CLXVI.

Vino ſi permiſcueris modicum aquæ, ad digeſtionem & vrinarum ſeceſſionem erit benignũ. Gal. de bon. aquæ.

CLXVII.

Remedia à Vino diluto ſumpta. VINVM DILVTVM & frigidiſſimum ſitim ſedat.

Vino

CLXVIII.

Vino permixtum aquæ minino ægris nocet, ſanis autem optimè prodeſt. Gal. com.3.de vict.acut.

CLXIX.

Vinum permixtum minimæ aquæ, vt pauca ſit repræſentatio aquæ, penetrationem,& noxam in articularibus morbis, & cerebri inhibet.

CLXX.

Vini minimum permixtum aquæ, vt pauca vini ſit repræſentatio, ægris maximè ſitim ſedat,& in febribus dari poteſt.

CLXXI.

Vinum aqua dilutum ori remedium eſt, poſt lactis eſum. Gal. 3. de alimento facult.

CLXXII.

Vinum modicè aqua dilutum ſomnum conciliat.

CLXXIII.

Vinum dilutum modicè aqua, omnes vacuationes promouet. Galen. 11. Meth.

CLXXIIII

Vina aquoſa celerrimè per vrinat
tranſeunt. Gal. com.2.aph.18.

CLXXV.

Remedia à Vino meraco ſumpta.

VINVM MERACVM ex
iccat corpora hominum. Gal. de præ
ſagijs ex pulſibus.

CLXXVI.

Vinum aqua temperatum cura
Syncopas ex magnis euacuationib
Gal. lib.1.de arte cur.ad Glauconem

CLXXVII.

Vinum meraciſſimum calefacit &
exiccat.

CLXXVIII.

Vinum potens imbecillioribu
nocet.Gal.com.6.aph.28.

CLXXIX.

Vinum potens ante cibum, & in
initio prandij vel cœnæ ante potum
cereuiſiæ ſumptum podagram cauſat.

CLXXX.

Vinum meracum & maluaticum
inteſtina corroborat.

CLXXXI.

Vinum

Vinum generoſum cum ſimilagine ſumptum Syncopæ medetur, ſpiritus reficit, corroborat & hepati quoq; auxilio eſt.

CLXXXII.

Vinum meracum ſeu maluaticum Syncopæ ex crudis humoribus inter omnia fulua vina maximè medetur.

CLXXXIII.

Vinum meracum odoriferum bonos humores gignit, ſed caput ferit.

CLXXXIIII.

Vinum odoriferum affectus pulmonis longos ſine febri iuuat. Gal. de atten. victus ratione.

CLXXXV.

Vinum vinoſum vrinam mouet, & calculoſis prodeſt.

CLXXXVI.

Vinum potens & maluaticum ſudorem promouet.

CLXXXVII.

Vinum meracum & odoriferum, teſte Gal. ſolum poſt theriacam bibi detur.

CLXXXVIII.

Vinum meracum flatus etiam o-

mnes, & craſſos humores incidit & deſcutit.

CLXXXIX.

Sitis ex vini veteris meraciori potu omnium maximè noxia eſt. Ga. com.3. de rat.victus in acutis morbis.

CXC.

Vino meraco quandoque ſanatur hemicrama.Gal.com.6.in 6.Epidem.

CXCI.

Vinum meracius tenuè facit mingere vrinam. Gal. com. 4. in Hipp. de victus in acutis morbis.

CXCII.

Vinum meracum, eſt prauum remedium in febribus.

CXCIII.

Vino meraco, qui ſe implent, tremunt. Gal. de ſalubri diæta.

CXCIIII.

Remedia à Vinis Varijs mixtis.

Calida lotus, ſi quis bibat pòſt varia vina, meracius dulce & auſterum, ac poſt moueatur deambulatione, moritur.ibidem.

CXCV.

Cali

Calida lotus ſtatim poſt multas eambulationes, vel peregrinatio-nes, ſi bibat multum vini, idq́; varij periculo mortis ſeſe exponit.

CXCVI.

Vinum potum poſt balneum, ſtatim, idq́; copioſum venenum fit. Dioſcor. lib. 6. de materia medica in præfatione.

CXCVII.

VINVM TENVE MAGIS PENETRAT. *Remedia à Vino tenui ſumpta.*

CXCVIII.

Vinum tenue vrinam & menſes mouet.

CXCIX.

Vina craſſa copioſius dant alimentum, quàm medicamentum. *Remedia à Vino craſſo ſumpta.*

CC.

Vina craſſa lienem lædunt. Gal. 3. de alim. fac. & com. 3. de rat. vict. acut.

CCI.

Vina craſſa omnes obſtructiones viſcerum augent.

CCII.

Remedia à vino albo ſumpta.

VINVM ALBVM non poteſt corpora hominum calefacere, Gal. com. 3. de ratione victus in acutis morbis.

CCIII.

Vinum album & tenue detergit. Galen. lib.4. de ſan.tuen.

CCIIII.

Vinum album tenue craſſos humores fortiter incidit, & ſanguinem per renes purgat. Gal. de atte. vict. rat.

CCV.

Vinum album tenue confert ei, in cuius corpore eſt humor craſſus & frigidus. Gal. de diſſolut.

CCVI.

Vinum album tenue facit mingere. Gal. 1. de fac. nat.

CCVII.

Vinum album tenue & ſubſtipticum Ictericis remedio eſt. Gal. de cura ictericorum.

CCVIII.

Vinum album modicè aſtringens contra morbum comitialem ex ore ventriculi remedio eſt.

Vi-

CCIX.

Vina alba craſſa minus nutriunt, quàm nigra & rubea. Galen. com. 2. aph. 18.

CCX.

Vina craſſa alba magis nutriunt, quàm alba tenuia. Gal. 3. de locis affectis.

CCXI.

Vina alba craſſa ſi ſenes bibant in hydropem & calculum incidunt.

CCXII.

Vina alba craſſa omnes viſcerum obſtructiones augent.

CCXIII.

Vinum album vinoſum, hoc eſt, omme calidũ inter alba ad veſicam magis penetrat, vrinam promouet, & calculoſis prodeſt.

CCXIIII.

Vinum albũm vinoſum magis, quàm vinum dulce veſicam per vrinã purgat. Gal. com. 3. de ratione victus.

CCXV.

VINA PALLIDA magis, quàm alba *Remedia à vino pallido ſumpta.*

alba & minus, quàm fulua calefaciunt.

CCXVI.

Remedia à Vino flauo ſumpta.

VINVM FVLVVM totum corpus valdè calefacit. Galenus 3. de comp.med.ſecundum loca.

CCXVII.

Vina fulua concoctioni magis medentur: Gal. 12.meth.med.

CCXVIII.

Vinum flauum nulli calidiori cõplexioni, ſine damno bibere licet. Gal.5. de tuen. ſan.

CCXIX.

Vinum flauum & acre ijs, quibus frigidi humores abundant in corpore, optimum remedium eſt.

CCXX.

Vinum flauum dulce plus nutrit.

CCXXI..

Vina flaua pinguia etiam ſenibus proſunt, quod alimentum magis procreant.

CCXXII.

Vinum flauum prauum remedium ſit in febribus. 4.meth.med.Gal.

Vinum

CCXXIII.

Vinum flauum & tenue Hydropicis prodeſt.

CCXXIIII.

Vinum flauum odoriferum Syncopæ inter omnia accommodatiſſimum remedium, præterquã illi Syncopæ, quæ à bile ortum habet.

CCXXV.

Vina fulua magis, quàm nigra mentem feriunt, & caput tentant. Gal. com. 3. de ratione victus.

CCXXVI.

Vina fulua febres magis augent.

CCXXVII.

Vina fulua meraciora inteſtinis magis proſunt. ibidem.

CCXXVIII.

Vina flaua tenuia ſenibus ſaluberrima ſunt, & tùm membra calefaciunt, tùm aquoſum excrementum quo abundant per vrinas expellunt. Gal. 1. de tuen. ſan.

CCXXIX.

Vina fulua craſſa tardius in corpus deducuntur. Gal. 12. meth.

CCXXX.

Vina flaua tenuia omnes fluxus ſanguinis augent & mouent.

CCXXXI.

Vina flaua tenuia hæmorrhoides menſesq; ſenſim in picrocholis, ſed ſtatim in alijs aperiunt atq; mouent.

CCXXXII.

Vina flaua & acria ijs, quibus frigidi humores abundant in corpore, optimum remedium ſunt.

CCXXXIII.

Remedia à vino rubro ſumpta.

VINVM RVBRVM reſpectu flaui minus calefacit, ideoq; refrigerare reſpectiuè meritò dicitur. Gal. de temperamento.

CCXXXIIII.

Vina rubea & ſubrubea absq; acri ſapore calefaciunt. Galenus com. 2. aph. 21.

CCXXXV.

Vina rubea & ſubrubea contra famem caninam valent. ibidem.

Vinum

CCXXXVI.

Vinum rubrum calefactum, & cum linteo impoſitum tumoribus vel articulorum vel vulnerum eos ſanat.

CCXXXVII.

Vinum rutilum dulce, non facit vitioſos humores. Gal. de bon. & vitioſis ſuccis.

CCXXXVIII.

Vina rubra craſſa obſtructiones hepatis, & renum gignunt.

CCXXXIX.

Vina rubra craſſa minus calefaciunt, quàm perlucida & magis nutriunt.

CCXL.

Vina rubra craſſa ſenibus maximè nocent.

CCXLI.

VINA nigra ſanguinem plurimũ gignunt, ſed ſuperfluum & melancholicum. Gal. com. 4. de ratione victus in morbis acutis. *Remedia à vino nigro ſumpta.*

CCXLII.

Vina nigra non mouent vrinã ſed ventrem ſubducunt potius. Gal. 5. de tuen. ſan.

Vinum

CCXLIII.

Vinum nigrum febrientibus non eſt dandum.

CCXLIIII.

Vina nigra ſenibus ſunt inutilia.

CCXLV.

Remedia à Vino omnium optimo ſumpta in ſpecie.

VINVM TENVE, CLARVM, LVCIDVM, COLORE AVREVM, ODORATVM, GVSTVI GRATISSIMVM, & nobile fit & optimum alimentum, & generoſiſſimum medicamentum in multis morbis eſt.

CCXLVI.

Ea ratione vinum ticinum & vipacum merito optima vina, vires corporis corroborant, mentem lætificant, & ſpiritus omnes augent.

CCXLVII.

Vinum idem ſemen auget, viros fertiles reddit, niſi antea nimis calidi bilioſiq; ſint.

CCXLVIII.

Idem vinum homines maximè ſanos diu conſeruat.

Idem

CCXLIX.

Idem vinum vitam hominis, quàm maximè & quàm diutiſſimè cõſeruat.

CCL.

VINVM OMPHACINVM plus aſtringit, quàm oportet. Gal. 1. de comp. med. ſecundum genera. *Remedia à vino omphacino ſumpta.*

CCLI.

Vinum omphacinum caput refrigerat. Gal. com. 2. de comp. med. ſecundum loca.

CCLII.

Vinum omph. ſiſtit aluum poſtquam primo bibitur.

CCLIII.

Syrupus de agreſta bilem extinguit, & ſitim ex bile ſedat.

CCLIIII.

VINVM SVBLIMATVM corpora hominum valenter calefacit, & immodicè ſumptum, ignea ſua vi ſtatim interficit. *Remedia à vino ſublimato interna.*

CCLV.

Vinum ſublimatum vbi paucos craſſos humores inuenerit, idẽ, quod anteà

anteà dictum eſt præſtat: vbi verò multos & planè cacochymica corpora nocet, quia id, quòd ſubtile eſt, tantum conſumit, reliqua craſſa magis cogit, condenſat & inſanabilia reddit.

CCLVI.

Vini ſublimati ſeſquidrachma, hoc eſt, cochleare cum ſaccaro benè dulcorato & primarij panis bolo mixtum, veſperi et manè, ſi edatur excrementoſos humores in pinguibus corporibus, niſi nimis multi ſint, concoquit & conſumit.

CCLVII.

Vinum ſublimatum incidit craſſos humores inprimis frigidos eoſq; conſumit.

CCLVIII.

Vinum ſublimatum obæſis corporibus, ijsq; frigidis & humidis, qui pituitoſis humoribus aliquantulum abundant, nihil incommodat, ſed etiam prodeſt.

CCLIX.

Vinum

Vinum ſublimatum obæſos & frigidos ab Apoplexia, Epilepſia, & Lethargo præſeruat.

CCLX.

Vinum ſublimatum in hyeme magis ſalubre eſt; in æſtate magis nocet.

CCLXI.

Vinum ſublimatum macilentis ſiccæq; naturæ hominibus venenum eſt.

CCLXII.

Vinum ſublimatum in quo infuſus eſt nodulus aromatum & pulegij, ſi bibatur modicè à mulieribus frigidis, menſes mouet.

CCLXIII.

Vinum ſublimatum in quo eiuſmodi nodulus eſt infuſus, inflationes ventriculi â frigida cauſa tollit.

CCLXIIII.

Vinum ſublimatum, in quo infuſa ſunt. Semen fœn.
Radix Rhodia.
Aroma Macis.

Cina-

Cinamomi,
Flor. Anthos.
Si ſenſim bibatur à mulieribus ſuffocationem matricis tollit, aut ſaltem mitigat.

CCLXV.

Vinum ſublimatum mixtum cum aqua Lauendulæ contra apoplexiam à frigida cauſa, vtile remedium eſt.

CCLXVI.

Vinum ſublimatum aromatiſatum ventriculo frigido prodeſt, & inflationes ventriculi ab eadem cauſa diſcutit.

CCLXVII.

Vinum ſublimatum in frigidis morbis & corporibus, vtile remediũ eſt, ſi cum ipſo pulueres corroborantes ſumantur, vel cum pane, vel ſine pane.

CCLXVIII.

Vinum ſublimatum, ſi poſt aſſumptam Theriacam bibatur, vel etiam dilutum cum theriaca facit, vt alexipharmacum citiùs penetret, & per ſudo-

ſudorem rectius malignos humores euacuet.

CCLXIX.

Vinum ſublimatum bilem auget, & tertianas febres maximè æſtiuo tempore generat.

CCLXX.

Vinum ſublimatum calidis naturis corporum inprimisq; adoleſcentibus gracilioribus valdè nocet.

CCLXXI.

Vinum ſublimatum calidiora corpora ſiue ſicca ſiue humidiora corpora ad καχεξίαν & ſæpè ad hydropem producit.

CCLXXII.

Vinum ſublimatum in calidis naturis, vel ſaltem complexionibus hepaticis, ſi ſæpiùs bibatur, debilitatem hepaticis inducit, atq; iecur prorſus corrumpit.

CCLXXIII.

Vinum ſublimatum ictericiam in calidis naturis gignit.

CCLXXIIII.

 Vinum

Vinum ſublimatum immodicè ſumptum interficit, niſi ſtatim pòſt bibat vel lac vel aquas deſtillatas refrigerantes.

CCLXXV.

Remedia à Vino ſublimato externa ſumpta.

Vinum ſublimatum exterius illitum muſculis carnoſis & articulis, neruos corroborat & craſſos humores in ijs diſcutit.

CCLXXVI.

Vinum ſublimatum granis iuniperi & ſapone venetiano viridi coctū in formam vnguenti & inunctum manibus pedibusq; affectis ex frigida fluxione medetur, inprimisq; ſi in balneis adhibeatur.

CCLXXVII.

Vinum ſublimatum mixtum cum aqua lauendulæ atq; illitum articulis, neruos corroborat & imbecillitatem motus voluntarij tollit.

CCLXXVIII.

Vinum ſublimatum cum aliis remediis ad articulos vel ad alios morbos muſculorum in brachiis pedibus-

cue

què illitum facit, vt omnia medicamenta magis penetrent.

CCLXXIX.

Vinum ſublimatum à croco mixtum & cum linteo applicatum extremitatibus manuum pedumque refrigeratis ad gangrenã vſq; medetur.

CCLXXX.

Vinum ſublimatum cum linteo duplici impoſitum ventriculo exterius, frigidum ventriculum calefacit, & flatus colicos à frigida cauſa mitigat.

CCLXXXI.

Vinum ſublimatum cum ſaccaro veſperi epotum, medetur tuſſi à frigida cauſa.

CCLXXXII.

Vinum ſublimatum aſperſum pani, clybano extracto, vnà cum puluere zeduariæ Cumini, Sem. fœniculi Rad. Ireos & Peoniæ applicatum doloribus aurium vehementiſſimis à flatibus medetur.

CCLXXXIII.

Vinum ſublimatum de loribus au-

rium qui à nimis multo humore fiunt, non prodeſt, ſed eos auget, quia diffundit tenuia & craſſa retinet.

CCLXXXIIII.

Vinum ſublimatum aliquoties irroratum pulueribus extra applicandis, membris Paralyticis, & iterum exiccatum atq; ſic procedendo quinquies, ſeptiesq; valdè prodeſt contra Paralyſin.

CCLXXXV.

Remedia à lora ſumpta.

VINVM DICTVM LORA, græcis δευτερία prodeſt conualeſcentibus ex morbis & ijs, qui vino aſſuefieri iterum velint.

CCLXXXVI.

Idem quò vetuſtius eò magis caput ferit.

CCLXXXVII.

Loræ maximum remedium eſt, quod citò per vrinam tranſit. Gal. de ſimp. med. fac.

CCLXXXVIII.

Lora ſi vere vel æſtate bibatur, valentior vinoſiorq; efficitur, atque magis

magis per vrinam expellit, & magis caput tentat.

CCLXXXIX.

VINVM CARIOPHYLATVM ventriculum & matricem inprimis calefacit. *Remedia à Vino Cariophylato ſumpta.*

CCXC.

Vinum Cariophylatum omnes craſſos humores & inprimis pituitam incidit & exiccando conſumit.

CCXCI.

Vinum Cariophylatum contra tuſſim ſenum prodeſt.

CCXCII.

Vinum Cariophylatum contra Syncopen ex ſuffocatione matricis valet.

CCXCIII.

Vinum Cariophylatum omnibus cholericis valde nocet.

CCXCIIII.

Vinum Cariophylatum fortiusq; caput lædit & Epilepſiam gignit.

CCXCV.

Remedia à Vino cardamomi ſumpta.

VINVM CARDAMOMI flatus diſcutit in potu ſumptum.

CCXCVI.

Vinum cardamomi contra ſuffocationem matricis quoq; prodeſt.

CCXCVII.

Vinum cardamomi colicā mitigat.

CCXCVIII.

Vinum cardamomi in melancholia hypochondriaca ſalubre remedium eſt.

CCXCIX.

Vinum cardamomi ſteriles ex frigida matrice reddit fertiles.

CCC.

Remedia à Vino clareto ſumpta.

VINVM CLARETVM.

R Cinamomi vncias iiij.
22. vncias ij.
Galangæ vnciam j.
Gri Paradyſi vncias 10.
Turnæ ſolis vnciæ j.
Croci ſcrupulum vnum.
Saccari libram vnam.

Et deniq; addantur pro vnciarum ij. ſpeciebus vini, menſuræ ſtuphæ numero ij. vel etiam iij. Vi-

CCCI.

Vinum claretum frigidum ventriculum valenter calefacit & flatus diſcutit. CCCII.

Vinum claretum ſæpius epotum contra hydropem inprimisque tympanitem valet.

CCCIII.

Vinum claretum contra Syncopen, quæ non à bile oritur valet.

CCCIIII.

VINVM LVTERANVM. *Remedia à Vino lutrano diuo ſumpta.*

R. Cardamomi vnciæ iij.
22. albiſſimi vnciæ j.
Cm. & vnciam ʃ.
Saccari albiſs. libram ʃ.

Vini Rhenani menſuram j. ſtuphã. Contra colica tormenta vtiliter bibitur inprimisq; ſi à frigida cauſa, orta ſit. CCCV.

Vinum auteranum valet, contra inflationes ventriculi.

CCCVI.

Vinum luteranum Syncopæ, quæ non à bile oritur medetur.

CCCVII.

Vinum luteranum hydropicis remedio eſt.

CCCVIII.

Vinum luteranum in febribus valdè nocet

CCCIX.

Vinum luteranum capiti, neruis & articulis prauum remedium eſt.

CCCX.

Vinum luteranum in fluxionibus nimiis menſium & ſanguinis nocet.

CCCXI.

Remedia à Vino cũ pipere ſumpta.

VINVM CVM PIPERE calidum ſumptum, frigidum ventriculum calefacit. Galen. de ſimp. med. in lib. ſpuriis.

CCCXII.

Vinum cum pipere adſperſum dãdum his, qui non concoxerunt. Gal. de præ cogn.

CCCXIII.

Vinum cum pipere omnibus, quibus eſt ſubtilius os ventriculo, nocet

& ſin-

& ſingultum excitat. Gal. 8.de comp. med. lacalium.

CCCXIIII.

VINVM EXTRACTIONIS AVRI corroborat cor, & omnem impurum ſanguinem mundificat. *Remedia à vino extractionis auri.*

CCCXV.

Vinum extractionis auri ſæpè vſurpatum in potu ægros laborantes gallico morbo & inunctos Mercurio ſenſim mundificat.

CCCXVI.

Vinum extractionis auri in potu ſumptum ſpiritus corporis tùm vitales tùm animales illuminat.

CCCXVII.

Vinum extractionis auri leproſis quoq; conuenit.

CCCXVIII.

Vinum extractionis auri præſertim, ſi ſit auſterum diſſenteriacos optimè iuuat.

CCCXIX.

Vinum extractionis auri Epilepticos & inſenſatos ſanat.

CCCXX.

Vinum extractionis auri-iuuentutem conſeruat.

CCCXXI.

Vinum extractionis auri vitam prorogat.

CCCXXII.

Remedia à vino abſinthite. VINVM ABSINTHITES ſtomacho vtile eſt, ſi ex frigiditate laboret vel crudis humoribus abundet.

CCCXXIII.

Vinum abſinthites & ventriculo & hepati efficax remedium eſt corroborando.

CCCXXIIII.

Vinum abſinthites contra opilationem ſplenis & iecoris ſaluberrimum remedium eſt.

CCCXXV.

Vinum abſinthites concoctionem tardam accelerat.

CCCXXVI.

Vinum abſinthites contra inflatio-

lationes ventriculi & diuturnas diſtentiones præcordiorum valet.

CCCXXVII.

Vinum abſinthites atrophiam ex diſſolutione ſtomachi factam curat.

CCCXXVIII.

Vinum abſinthites regio morbo medetur.

CCCXXIX

Vinum abſinthites renum vitiis vtile remedium eſt.

CCCXXX.

Vinum abſinthites menſes mulieribus mouet.

CCCXXXI.

Vinum abſinthites epotum himbricos interficit & expellit.

CCCXXXII.

Vinum abſinthites capiti nocet, & nimium vaporum eò mittit.

CCCXXXIII.

Vinum abſinthites Pthyſicis prauum remedium eſt.

CCCXXXIIII.

Vinum abſinthites in febribus continuis valdè nocet.

CCCXXXV.

Vinum abſinthites in fluxionibus ad articulos nocet.

CCCXXXVI.

Vinum abſinthites in comitali morbo & Apoplexia nocet.

CCCXXXVII.

Vinum abſinthites ſomnum concitat & ſomnolentos reddit.

CCCXXXVIII.

Vinum abſinthites calefactum & exterius aſperſum pani toſto & applicatum ventriculo, illum corroborat & flatus diſcutit.

CCCXXXIX.

Vinum abſinthites gargariſatum contra tumorem linguæ eſt maximũ remedium. Arnold. de noua villa.

CCCXL.

Vinum abſinthites per fumum ex decoctione immiſſum auribus ſurditatem atq; dolorem aurium lenit.

VI-

CCCXLI.

VINVM ACACIAE debilitatem hepatis ex nimio vſu medicamentorum aperitiuorum tollit, ſi ſæpiùs bibatur. *Remedia à vino acacia.*

CCCXLII.

Vinum acaciæ cacochimiam corporis cum fluxione nimia alui optimè ſanat.

CCCXLIII.

Vinum acaciæ omnes fluxiones ſanguinis ſiſtit, vinum acaciæ dyſſenteriam ſanat.

CCCXLIIII.

Vinum acaciæ profluuium muliebre magis, quàm omnia alia medicamenta ſedat.

CCCXLV.

VINVM CITRI efficaciſſimum remedium eſt ad peſtem præſeruandam. *Remedia à vino citri ſumpta.*

CCCXLVI.

Vinum citri Melancholicos humores temperat.

CCCXLVII.

Vinum

Vinum citri cor corroborat.

CCCXLVIII.

Vinum citri in febribus continuis peſtilentialibus cum declinant vtiliter bibi poteſt, vt maligni humores reſidui expurgentur.

CCCXLIX.

Remedia à vino ephragiati ſumpta.

VINVM EVPHRAGIATVM epotum integrum annum cœcis vel ſaltem ex debilitate viſus laborantibus viſum quodammodo reſtituit Arnold. de villa noua.

CCCL.

Vinum euphragiatum ſæpius epotum aciem oculorum corroborat.

CCCLI.

Vinum euphragiatum cor exhilarat & melancholia tollit.

CCCLII.

Remedia à vino ennlato ſumpta.

VINVM ENVLATVM Dioſcoridi dictum NECTARIDES contra peſtem vtiliter bibitur.

CCCLIII.

Vinum

Vinum enulatum contra pectoris anguſtias epotum valet.

CCCLIIII.

Vinum enulatum tuſſi medetur.

CCCLV.

Vinum enulatum ad ſtomachi anguſtias quoque aliquantulum prodeſt.

CCCLVI.

Vinum enulatum mouet vrinam.

CCCLVII.

VINVM HYSSOPITES tuſſi etiam veteri medetur. *Remedia à vino hyſſopitis ſumpta.*

CCCLVIII

Vinum hyſſopites contra plæraq; pectoris & pulmonis vitia prodeſt.

CCCLIX.

Vinum hyſſopites vocem claram retinet, & vias vocales mundificat.

CCCLX.

Vinum hyſſopites ſanat epilepſiam præſertim in pueris.

Vinum

CCCLXI.

Vinum Hyſſopites vrinam mouet.

CCCLXII.

Vinum Hyſſopites mulieribus menſes mouet.

CCCLXIII.

Vinum Hyſſopites Hydropem curat.

CCCLXIIII.

Vinum Hyſſopites exterius ſi lauetur illo imus venter humidam matricem exiccat & ex nimia humiditate ſteriles mulieres fertiles reddit.

CCCLXV.

Remedia à vino ceraſorũ ſumpta.

VINVM CERASORVM epotum quotidie neruos corroborat.

CCCLXVI.

Vinum ceraſum cum alia vina pleraq; Epilepticis noceant, quodammodò contra Epilepſiam vtiliter bibitur.

CCCLXVII.

Vinum ceraſorum ventriculum debilem ex æſtu corroborat.

Vinum

CCCLXVIII.

Vinum ceraſorum in febribus epotum minus calefacit, guſtu valdè iucundum exiſtit, ſed tamen nō ſemper tutum eſt, ideoque parcius exhibendum.

CCCLXIX.

VINVM LAVENDVLAE cerebro & neruis in frigidis affectibus prodeſt, idq; moderatè ſumptum. *Remedia à vino lauendula ſumpta.*

CCCLXX.

Vinum lauendulæ pinguibus & obæſis corporibus remedio eſt.

CCCLXXI.

Vinum lauendulæ immodicè ſumptum citius ebrietatem conciliat, & caput magis petit.

CCCLXXII.

Vinum lauendulæ muſculoſis partibus, neruis & articulis foras illitum atq; calefactum robur addit, & paralyticis aut ſpaſmo affectis remedium efficax eſt.

CCCLXXIII.

VINVM LIGNI GVAIACI vtili- *Remedia à vino ligni Guaiaci ſumpta*

G

Vtiliter bibitur à laborantibus gallicò morbo, præſertim ſi ſint frigidioris complexionis.

CCCLXXIIII.

Vinum ligni guaiaci miſcetur vtiliter ſecundo decocto ligni, vbi ventriculus peius ſeſe habet.

CCCLXXV.

Vinum ligni guaiaci efficax remedium eſt contra malignas & diuturnas fluxiones, ſi quotidie in menſa loco potus bibatur.

CCCLXXVI.

Remedia à vino roſmarino ſumpta.

VINVM ROSMARINVM contra punctiones lateris, & pleuritides nothas, præſentiſſimũ remedium eſt.

CCCLXXVII.

Vinum roſmarinum confert omnibus frigidis morbis.

CCCLXXVIII.

Vinum roſmarinum omnes neruos, & articulos corroborat.

CCCLXXIX.

Vinum roſmarinum matricem frigidam & flatuoſam ſanat.

CCCLXXX.

Vinum roſmarinum mulieribus humidioris naturæ ad conceptum prodeſt.

CCCLXXXI.

Vinum roſmarinum ſomnolentos corrigit, & alacriores reddit.

CCCLXXXII.

Vinum roſmarinum tremulis, & paralyticis remedium eſt efficax.

CCCLXXXIII.

Vinum roſmarinum mentem exhilarat, & cor corroborat.

CCCLXXXIIII.

Vinum roſmarinum in quartana febri quoq; prodeſt.

CCCLXXXV.

Vinum roſmarinum molam gerentibus, ſi modò certiores ſint de mola, vtiliter bibitur.

CCCLXXXVI.

Vinum roſmarinum ſi eo os proluatur, bonum odorem gignit.

CCCLXXXVII.

Vinum roſmarinum, ſi eo os la-

uetur, gingiuam à putredine conſer-
uat, & dentes confortat.

CCCLXXXVIII.

Vinum Roſmarinum cancro, ſi eo lauetur, ſalubre remedium eſt.

CCCLXXXIX.

Vinum Roſmarinum decoctum cum ſolano aliiſq; herbis refrigerantibus magis adhuc cancrum lenit, ſi eo lauetur.

CCCXC.

Vinum Roſmarinum ſi eo lauetur facies, pulchram reddit.

CCCXCI.

Remedia à uino ſaluiæ ſumpta.

VINVM SALVIAE prodeſt tuſſi epotum.

CCCXCII.

Vinum ſaluiæ prodeſt ventriculo & matrici frigidæ.

CCCXCIII.

Vinum ſaluiæ vtile remedium eſt Epilepſiæ ex conſenſu ventriculi & matricis.

CCCXCIIII.

Vinum ſaluiæ renum & veſicæ doloribꝰ medetur. Vinum

CCCXCV.

Vinum ſaluiacum menſes mouet & elicit.

CCCXCVI.

Vinum ſaluiacum contra Syncopen ex ſuffocatione matricis valet.

CCCXCVII.

Vinum ſaluiacum, ſi eo proluatur os, ſanguinolentiam gingiuarũ tollit.

CCCXCVIII.

Vinum ſaluiacum inunctum neruis & articulis corroborat.

CCCXCIX.

Vinum ſaluiacum calide illitum articulis in podagricis ex frigida cauſa dolores lenit & morbum ſenſim tollit.

CCCC.

VINVM SCOLOPENDRIACVM contra lienis obſtructiones valdè prodeſt epotum. *Remedia à vino ſcolopendriaco ſumpta.*

CCCCI.

Vinum ſcolopendriacum contra Aſthma quoq; vtiliter bibitur.

CCCCII.

Vinum ſcolopendriacum in palpitatione cordis, ex conſenſu hypochondriacæ obſtructionis, efficax remedium eſt.

CCCCIII.

Remedia à Vino Veronica. VINVM VERONICAE mundificat ſanguinem.

CCCCIIII.

Vinum veronicæ prodeſt antiquæ tuſſi.

CCCCV.

Vinum veronicæ, ſi infuſo ſaccaro candido dulcoretur, phtiſicis rarius epotum ſalubre quoq; eſt.

CCCCVI.

Vinum veronicæ in colica eximium remedium eſt.

CCCCVII.

Vinum veronicæ in ſcabia curanda quodammodo rectè bibitur.

CCCCVIII.

Vinum veronicæ articulos & neruos corroborat.

CCCCIX.

Remedia à Vino compoſito ſumpta. Vinum ſi eius amphoræ miſceantur radix Borraginis vncia j. folia ſenæ

æ lb. ij, ros.rub. Miiij j.Rhabarb.vn-
iæ iiij. in ſacculo, præſertim cum vi-
ium adhuc ſit muſtum ſit efficax vinũ
axatiuum purgans bilem & pituitam
i ſumatur veſperi ante ingreſſum le-
ti poculo vnciar. v. vel vnciar. vj.& i-
erum paulò ante prandium ſequenti
lie.

CCCCX.

Idem vinum compoſitum laxati-
ium, ſi herba abſinthii m. iiij. condia-
ur, pro vino abſinthiaco venditari
oteſt,& in purganda bile atq; pituita
odem modo efficax eſt.

CCCCXI.

ACETVM & interius & exte- *Remed. ab aceto.*
ius vſurpatum venenis reſiſtit.

CCCCXII.

Acetum quoq; venenis ex eſu fun-
gorum inprimis reſiſtet, ſi bibatur &
vel cum aqua,vel cum oleo parumper
niſceatur vt bibi poſſit.

CCCCXIII.

Acetum ſumptum ſæpe in cibo,vel
etiam aquę mixtum & epotum humo-
es corporis à peſte ipſa & putredine
oſeruat.

CCCCXIIII.

Acetum cum ruta & nucleis iuglandis excorticatis quantitate cochlearis ſumptum ea die à peſte præſeruat.

CCCCXV.

Acetum cum iiſdem, & granis iuniperi, eodem modo ſumptum à peſte præſeruat.

CCCCXVI.

Acetum cum theriaca mixtum & epotum prima die in peſtilentialibus febribus eas ſæpè ſtatim tollit.

CCCCXVII.

Acetum cum oculis cancri vncia j. & vnicornu gr: X. mixtum, calefactũ atq; epotum contra venenum opij efficax remedium eſt.

CCCCXVIII.

Acetum cum oculis cancri & melle ſumptum contra punctiones alioſq; dolores ex luxatione vel coagulato ſanguine prodeſt epotum.

CCCCXIX.

Acetum cum Mumia ſpermaceti & ocu-

oculis cancri mixtum multò magis contra luxationem prodeſt.

CCCCXX.

Acetum cum ſpongia naribus applicatum ſæpius tempore peſtis præſeruat.

CCCCXXI.

Acetum ſitim mitigat.

CCCCXXII.

Aceto ſolo ad humectandum & refrigerandum interius non vtimur, ſed cum aqua ita mixto vt bibi poſſit. Gal. 10. meth. med.

CCCCXXIII.

Acetum ſitim prouenientem à ſiccitate ſola nunquam ſanare poteſt, verùm etiam auget. Galenus 1. de ſimp. med. fac.

CCCCXXIIII.

Acetum ſitim prouenientem à caliditate & humiditate lenit.

CCCCXXV.

Acetum ſitim prouenientem ex hydrope ſanat. Ga. 1. de ſimp. fac. med.

CCCCXXVI.

Acetum, ſolum epotum in febribus, ſitim non ſanat. Galen. de ſimp. med. fac.

CCCCXXVII.

Acetum, ſi miſceatur cum aqua, & in febribus ebibatur, ſitim mitigat. Gal. 1. de ſimp. med fac.

CCCCXXVIII.

Acetum aquæ mixtum facit vt aqua magis penetret, magiſque humectet. Ibidem.

CCCCXXIX.

Acetum, ſiue bibatur, ſiue cum cibis comedatur, vtiliſſimnm eſt in naturis picrocholis, quæ amaræbilis ſucco abundant. Hipp. & Gal. paſſim.

CCCCXXX.

Acetum, ſiue bibatur, ſiue cum cibis comedatur, complexionibus melancholicis aduerſiſſimum eſt.

CCCCXXXI.

Acetum ventriculum ſua quadam ratione corroborat. Galenus 3. de alim. fac.

CCCCXXXII.

Ace-

Acetum epotum vel in cibis ſum-
ptum phlegma in ventriculo mundifi-
cat. CCCCXXXIII.

Acetum cum oliuis ſumptum, ſto-
machum corroborat.

CCCCXXXIIII.

Acetum cum capparibus, ſi come-
datur, iecoris & lienis obſtructiones
aperit, eaq́; viſcera corroborat.

CCCCXXXV.

Acetũ cum Zingib. & pipere albo,
& ſucco cytoniorum, cum melle, eſt
medicamentum ad appetentiam de-
iectam reſtituendam. Gal. 2. de alim.
fac. Idem 6. de tuen. ſan.

CCCCXXXVI.

Acetum acre non fert oris ventri-
culi ſubtilis ſenſus. Gal. de loc. aff.

CCCCXXXVII.

Acetum in cibo modicè ſumptum
aluum ſiſtit. Galenus 1. de alimentor.
facul.

CCCCXXXVIII.

Acetum, ſi cum lactuca comeda-
tur, capitis dolorem ex vini potione
minuit

innuit. Galenus 2. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCXXXIX.

Acetum cum aqua mixtum in ardentibus febribus vtiliter bibitur.

CCCCXL.

Acetum coctum & mulſæ additum minus nocet. Gal. 3. com. in Hipp. de victus ratione in morbis acutis.

CCCCXLI.

Acetum mentem & neruos ferit. Galen. 1. com. in Hipp. de victus rat.

CCCCXLII.

Acetum neruorum ſubſtantiam debilitat. Gal. 14. meth. med.

CCCCXLIII.

Acetum non eſt bibendum in febri ſingultuoſa. Ga. com. 4. in Hipp. de vict. ratione in morbis acutis.

CCCCXLIIII.

Acetum peius remedium eſt mulieribus, quàm viris. Gal. com. 3. in Hipp. de vict. rat. in morbis acutis.

CCCCXLV.

Acetũ dolorem infert vtero. paſſim in Galeno. Ace-

CCCCXLVI.

Acetum noxium eſt remedium in colicis, ſi intro ſumatur ſiue ſolum ſiue cum aliis medicamentis mixtum.

CCCCXLVII.

Acetum ſi infundantur 24. horas radices Angelicæ vel aliæ peſtilentiales multò efficaciores contra venenũ proſunt, & falſum eſt quod vulgo dici ſolet, acetum venenum peſtilentiale in illis tollit.

CCCCXLVIII.

Aceto ſi infundantur ſemina carui & cumini, ventriculo abundanti bile magis proſunt.

CCCCXLIX.

Semen cumini in ſacculo coctо cum aceto & exterius impoſitum ventriculi ſingultum tollit.

CCCCL.

Acetum naribus admotum & pauimento ędium inſperſum contra peſtis contagionem valet.

CCCCLI.

Ace-

Acetum pulſib. applicatum ſæpius, tempore peſtis præſeruat.

CCCCLII.

Acetum cum ruta infuſum, & mane vſurpatum, valentius idem facit.

CCCCLIII.

Acetum exterius impoſitum exulceratæ carni, vel ſimilibus, à thapſia inflammationem reſtinguit, & dolorem ſedat. Galenus 1. de ſimp. med. fac.

CCCCLIIII.

Acetum odorandum eſt vel naribus propinandum iis, quos Syncope infeſtat.

CCCCLV.

Acetum cum pulegio, odorandum eſt contra Syncopen. Gal. 9. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCLVI.

Acetum cum ruta odorandum eſt contra Epilepſiam.

CCCCLVII.

Acetum cum ruta naribus propinatum ſæpius lethargum mitigat

Ace-

CCCCLVIII.

Acetum cum thymo, origano, pulegio, coctum & naribus admotum lethargum tollit. Gal. 3. meth. med.

CCCCLIX.

Acetum acerrimum bonum remedium contra dolores dentium, ſi cum eo decoquantur vel tedæ pingues, vel galla, vel ſemen hyoſciami; & eo decocto dentes colluantur.

CCCCLX.

Acetum cum oleo roſaceo mixtum, inflammationibus in principio conuenit. Gal. 2. de comp, med. ſecundum loca.

CCCCLXI.

Acetum cum oleo roſaceo impoſitum fronti, atq; temporibus, medetur doloribus capitis ex peſte vel etiam ex febribus. Gal. 2. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCLXII.

Acetum cum aqua roſacea & plantag mixtum atq; fronti cum linteo applicatum, dolori capitis medetur.

Ace-

CCCCLXIII.

Acetum cum oleo roſaceo impoſitum auribus cum lana, inflammatis & dolentibus confert. Gal. 13. meth. med.

CCCCLXIIII.

Aceti parum cum conuenientibus mixtum & cum ſpongia applicatum œdemati, illud ſanat. Gal. 2. de arte cur. ad Glauconem cap. 3.

CCCCLXV.

Acetum cum luto aduſto in tumoribus ex fluxionibus ortis ijsq; exulceratis, ſi ſanari debent, vtiliter adhibetur exterius illitum & quia repercutit & quia digerit.

CCCCLXVI.

Acetum cum ammoniaco lieni duro exterius Emplaſtri forma impoſitum confert. Gal. 14. meth. med.

CCCCLXVII.

Acetum ſi miſceatur vel cum abſinthio & cappare, vel etiam cum ſemine lini vtiliſſimum cataplaſma fit pro liene. Gal. 11. meth. med.

CCCCLXVIII.

Acetum exterius vſurpatum cum Biſmalua & ſimilibus, contra ſcyrrhũ lienis valde prodeſt. Galen. 2. de arte cur. ad Glauc.

CCCCLXIX.

Acetum ſi ignito lapidi infundatur, & fomententur tendones & nerui, in vicio adulto ſcyrrhoſo prodeſt moderate adhibitum, & ſi alternis diebus emollientia repetantur.

CCCCLXX.

Aceto, vel medicamentis ex aceto, nec ſæpe, nec inter initia, nec longo tempore ad ligamenta & ad tendones vtendum eſt. Gal. 14. meth. med. cap. 5.

CCCCLXXI.

Acetum ſyncerum vlcera, quæ glutinari debent, indurat, & mirum in modum exaſperat. Gal. de diſſolutione continui.

CCCCLXXII.

Aceti parum cum multa aqua mixtum, conglutinat vlcera. Galen. 1. de ſimp. med. fac.

CCCCLXXIII.

Acetum cum aqua ita dilutum, vt bibi poſſit, vulgò poſca dictum eſt deſenſiuum contra inflammationes vlcerum.

CCCCLXXIIII.

Acetum ita cum aqua mixtum & gargariſatum gutturis fluxiones inhibet & contra aphtas prodeſt.

CCCCLXXV.

Acetum mixtum cum aqua & impoſitum vel cum linteo vel cum ſpongia inflammationibus ex fluxione medetur.

CCCCLXXVI.

Acetum cum aqua mixtum & exterius illitum pruritum cutis tollit ac ſimul aſtringit.

CCCCLXXVII.

Aceti vſus in medicamentis ad lienem ſemper tutus eſt.

CCCCLXXVIII.

Aceto ſi madefiant brachia & pedes vt puſtulæ excitentur, dolor & vomitus ventriculi ſedatur,& ventri-

culus

culus corroboratur. Gal. 8. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCLXXIX.

Acetum ſi eo lauentur nares ſæpius fluxum ſanguinis per nares ſiſtit.

CCCCLXXX.

Acetum ſpongia applicatum vel potius muſco quercino ſanguinis fluorem in nutrioribus ſiſtit.

CCCCLXXXI.

Acetum cum pulueribus & ſpeciebus aſtringentibus impoſitum cum linteo duplici hepatis rogioni, fluxum ſanguinis per nares ſiſtit.

CCCCLXXXII.

Acetum in feſſu pedum vſq; ad genua feliciter ad fluorem ſanguinis vſurpatur Dioſc.

CCCCLXXXIII.

Acetum ſolum ſæpe vſurpatum, herpetes tollit.

CCCCLXXXIIII.

Acetum cum ſucco cancri viui illitum herpetes ſanat.

CCCCLXXXV.

Acetum cum bolo armeno, commune repercuſſiuum chirurgorũ eſt, & diſcuſſiuum tumorum germanicè dictum Dörrbandt.

CCCCLXXXVI.

Acetum cum bolo armeno, olibano, & maſtiche, eodem modo medetur, & fortius eſt repercuſſiuum.

CCCCLXXXVII.

Acetum & lixiuium ana æqualib. partib. mixtũ, cum parum ſalis & bolo armeno, omnes tumores ex caſu repercutit & reſoluit.

CCCCLXXXVIII.

Acetum cum nuce Moſchata, Roſis rubeis, Maſtiche, & caryophyllis, applicatum cum pane toſto vmbilico, vel regioni ventriculi, ſanat dyſentericos fluxus, & ſuperpurgationes.

CCCCLXXXIX.

Acetum eodem modo mixtum, & inſuper additis pulueribus abſynthio atq;

atq; Mentha magis corroborat ventriculum & inteſtina: minus autem aſtringit.

CCCCXC.

Acetum cum nuce Muſchata, Roſis rubeis, Acacia & Maſtiche, cum pane toſto applicatum imo ventri, efficax remedium eſt contra immodicum profluuium menſium.

CCCCXCI.

Acetum ex Maluatico cor magis quàm aliud acetum corroborat. *Remed. ab aceto Maluatico.*

CCCCXCII.

Acetum exMaluatico contrà Syncopen maximè prodeſt.

CCCCXCIII.

Acetum cum allio contuſo mixtum contra vulnera ex morſu ſerpentum efficax remedium eſt.

CCCCXCIIII.

ACETVM VIOLACEVM in ſalſamentis ſumitur iucundè contra ſitim ex æſtu vel ex febribus. *Remed. ab aceto Violaceo ſumpta.*

CCCCXCV.

Acetum violaceũ tutius ſumitur ab Epilepticis.

CCCCXCVI.

Acetum violaceum tuſſi veteri quodammodo ſalubre eſt.

CCCCXCVII.

Remed. ab aceto roſaceo ſumpta. ACETVM ROSACEVM contra ſyncopen omnium maximè valet.

CCCCXCVIII.

Acetum roſaceum fronti & temporibus illitum cum aqua plantaginis vel ſimilibus dolorem capitis ab æſtu & à febribus magis quàm acetum ſolum lenit.

CCCCXCIX.

Acetum roſaceum cum ſpeciebus diatrion ſantalon diarhodon & alijs puluеribus aſtringentibus mixtum atq; regioni hepatis impoſitum cum linteo madefacto in eo fluxum ſanguiuis per nares ſiſtit.

CCCCC.

Remed. ab oxym. ſumpta. OXYMEL ſeu acetum mulſum, ſi vel cochlearibus aliquot lambatur, vel in forma potionis ad vnciã js cum aquis conuenientibus vnciar.iij. vſurpetur, remedium efficax eſt ad attenuan-

tenuanda incidenda reſoluendaque craſſa & lenta excrementa quæ in iecinere & ventriculo longo tempore collecta ſunt.

CCCCCI.

Oxymel diuturnas febres incidendo & coquendo peccantem materiam tollit.

CCCCCII.

Idem Epilepticis remedio eſt.

CCCCCIII.

Idem obſtructiones omnium viſcerum interius ſumptum aperit.

CCCCCIIII.

Oxymel ſputum facilius reddit & educit.

CCCCCV.

Acetum mulſum lieni confert. Galenus 9. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCCVI.

Acetum mulſum neruoſis partibus nocet.

CCCCCVII.

Ab oxym. compoſito. Oxymel compoſitum eadem remedia quæ oxymul ſimplex ſed valentius ſuggerit.

CCCCCVIII.

Oxymel compoſitum vrinam mouet & ſudorem elicit.

CCCCCIX.

Oxymel tum ſimplex tum compoſitum ſi immodicè & nimis ſæpè vſurpentur inteſtina radunt, & neruoſa quodammodo lædunt.

CCCCCX.

Remed. ab aceto ſquillitico ſumpto. ACETVM SQVILLITICVM SI MANE parum ſumatur & paululùm pòſt deambulent, faucium oriſq; partes inprimiſq; gingiuas ſaniores reddit.

CCCCCXI.

Acetum ſquilliticum omnia ſuperflua conſumit & corpori meliorem habitum reddit.

CCCCCXII.

Acetum ſquilliticum os ventriculi corroborat vocem meliorem reddit,

dit, & ſpiritum emendat, oculorumq; aciem confirmat.

CCCCCXIII.

Acetum ſquilliticum lienis durities vehementer ſoluit.

CCCCCXIIII.

Acetum ſquilliticum vrinam promouet, & calculoſis quoque prodeſt. Gal. 1. de ſimp. med fac.

CCCCCXV.

Acetum ſquilliticum mirifice conuenit orthopnoicis. Gal. 7. de comp. med. ſecundum loca.

CCCCCXVI.

Oxymel ſquilliticum omnes humores craſſos lentos & aſcoſos vehementiſſimè incidit, ſeparat & diſcutit.

CCCCCXVII.

Oxymel ſquilliticum mixtum cum pulueribus nucis moſchatæ, & ij vel iij cochl. epotum epilepſias diuturnas ſenſim tollit.

CCCCCXVIII.

Oxymel ſquilliticum puluere nucis moſchatæ & aqua ceraſorum eo-

dem modo contra Epilepſiam valet & in vſu gratius remedium eſt.

CCCCCXIX.

Oxymel ſquilliticum omnes obſtructiones viſcerum valenter aperit.

CCCCCXX.

Oxymel ſquilliticum confert ventriculo & ructum acidum ſanat.

CCCCCXXI.

Oxymel ſquilliticum vrinæ incõtinentiam tollit.

CCCCCXXII.

Oxymel ſquilliticum compoſitum dentes mobiles confirmat.

CCCCCXXIII.

Oxymel ſquilliticum compoſitum in quartanis vtile remedium eſt.

CCCCCXXIIII.

Remed. ab aceto paſſularum.

ACETVM PASSVLARVM obſtructiones hepatis & lienis aperit.

CCCCCXXV.

Ace-

Acetum paſſularum naturis picrophilis prodeſt, & bilem mitigat.

CCCCCXXVI.

Acetum paſſularum tuſſientibus, & pthyſicis quodammodo concedi vtiliter poteſt.

CCCCCXXVII.

Syrupus acetoſus ſimplex digerit choleram, phlegma & melancholiam. *Remedia à ſyrupo aceto ſumpta.*

CCCCCXXVIII.

Syrupus acetoſus ſimplex attenuat craſſa, incidit viſcoſa & refrigerat.

CCCCCXXIX.

Syrupus acetoſus ſimplex febres tertianas & quotidianas tollit.

CCCCCXXX.

Syrupus acetoſus ſimplex obſtructiones viſcerum aperit, & vrinā prouocat.

CCCCCXXXI.

Syrupus acetoſus ſimplex putredinem humorum in febribus ſiſtit & malignas febres ſanat.

Syru-

CCCCCXXXII.

Syrupus acetoſus ſimplex ſitim ſedat in febribus.

CCCCCXXXIII.

Syrupus acetoſus compoſitus bilem, craſſamq; pituitam incidit maximè.

CCCCCXXXIIII.

Syrupus acetoſus vel ſimplex vel compoſitus, ſi miſceatur cum aqua acetoſæ, in forma longi Iuleb, ſitim in febribus maximè mitigat.

CCCCCXXXV.

Syrupus acetoſus compoſitus antedictas medelas õnes fortius præſtat.

CCCCCXXXVI.

Syrupus acetoſus compoſitus ita fortiter incidit vt caput & neruos nõnunquam petat.

CCCCCXXXVII.

Syrupus acetoſus compoſitus, ſæpius vſurpatus, facilè poteſt hepar debilitare.

CCCCCXXXVIII.

Remed. ab oxyſacchoro ſumpta.

OXYSACCHARA ſimplex corro-

corroborat cor,& omnes vitales ſpiritus.

CCCCCXXXIX.

Oxyſaccara ſimplex contra venenum valet,& peſti reſiſtit.

CCCCCCXL.

Oxyſaccara ſimplex digerit,& tollit duplices tertianas febres.

CCCCCXLI.

Oxyſaccara compoſita in longis febribus à ſanguine, vel bile auxilio eſt.

CCCCCXLII.

Oxyſaccara compoſita cor corroborat, & læticiam animi auget.

CCCCCXLIII

Oxyſaccara compoſita hepaticos quoq; iuuat.

CCCCCLXIIII.

Oxyſaccara compoſita lienis obſtructiones tollit.

CCCCCLXV.

RADIX, VEL RACEMORVM VITIS CINIS, ſi lixiuium ex eo fiat, & lauetur eo caput, cerebri humiditates exiccat.

Idem

CCCCCXLVI.

Idem lixiuium ſimplex mixtum cum ſapone linteum madefactum in eo applicetur eryſipelati, dolorem lenit & eryſipelas tuto ſanat, ſed ſæpius epithema repetendum eſt.

CCCCCXLVII.

Idem lixiuium ſi cum eo coquantur maiorana ſtoechas arabicũ, citrinum & betonica, optimum lixiuium eſt ad exiccandas humiditatas cerebri & ad caput corroborandum.

CCCCCXLVIII.

Lixiuium idem & cum ſapone preparatum ſi lintea in eo madefiant & exiccentur iterum atque lintea ſicca applicentur in eryſipilate ſanando tutius præſtare vulgo creditur ſed ſuperſtitioſum eſt, & paulò minus & tardius quàm ſuperius medicamentum ſanat, neq; tutius vllo modo.

CCCCCXLIX.

Cinis ex radicibus vitis & ex herba cichorij ſi inde fiat lixiuium quo lauen-

lauentur capilli capitis illos pulchriores reddit.

CCCCCL.

Lixiuium ex cinere eodem, ſi lauetur eo caput, memoriam quoque corroborat.